
Nowodworski Adamus
Episc. Posnanien.

Czarnkowski fram. Casim. Gloriae Nowodworscianae fascia triplex.




GLORIA
VIRTVS
NOBILITAS
GLORIÆ NOWODWORSCIANÆ
FASCIA TRIPLEX
A
Nobili, et studiosâ Collegij, Posnaniensis Societatis
IESV Iuuentute, è NOBILITATE, VIRTVTE,
HONORE, liberali Mineruæ lanificio contexta,
AC
ILLVSTRISSIMO et REVERENDISSIMO DOMINO,
D. ADAMO À NOWODWOR NOWODWORSKI EPISCO,,
PATVM POSNANIENSEM auspicato capessenti
reuerenter oblata
PER
Illustrem, et Magnificum Dominum, D. FRANCISCVM
CASIMIRVM Sandiuogium À CZARNKOW
CZARNKOWSKI Capitaneum Medirecensem eiusdem
Collegij Studiosum
Anno ab orbe restituto M. DC. XXXI.
HONOR

Egregia & insignis est inter homines nota, bonâ stirpe nasci, & subindè accrescit nobilitatis nomē hominibus dignis Euripides in Hecuba.

Ex omnibus præmijs virtutis amplissimum præmium gloria, quæ vitæ brevitatem posteritatis memoriâ consolatur, quæ efficit, ut absentes adsimus, mortui vivamus, cujus gradibus etiam homines in cœlum videntur ascendere Cicer. pro Milone.

Honorem & gloriam bona esse necesse est; jucunda enim sunt, & effectiva multorum, ac ut plurimùm ea verè inesse ostendunt propter quæ fiunt. Aristot. l. 1. Rhetor. ad Theodect. cap. 6.







AD ILLUSTRISSIMUM AC REVERENDISSIMVM D. ADAMVM A NOWODWOR NOWODWORSKI EPISCOPUM POSNANIENSEM.

Prophaſis.



E mirêre Antiſtes Ill^me^ Muſas Poſnanienſes, quæ in auſpicatiſsimis hiſce honorum Tuorum incrementis primæ ad optatiſsimos Tvos complexus evolare, primæ munificentiſsimis manibus oſcula reddere, primæ denique & ſuam in Te pietatem, & Tva in ſe merita, verbis voceque teſtari debuerant, poſtremas propemodum paternum Tuum vultum ſubire. Cum enim tam multos Tibi gratulatores virtus dignitasque Tva undique cogeret, adeòque frequens ſalutantium corona Te ad ſublime ampliſsimæ dignitatis tuæ ſolium deduceret, ut omnes ferè ad Te aditus exiguitati noſtræ intercludi viderentur: commodum inprimis duximus tantiſper reticere, dum ille gratulationum æſtus nonnihil conſideret, liberioremque & nobis fruendi Te & Tibi reſpiciendi nos relinqueret fa-

 culta-

cultatem. Nimirum ea musarum natura est, ut in turba loqui nequeant, & ubi plurimi loquuntur, ibi minimè vel audiant, vel audiantur: idcircò serius paullò loqui maluerunt, quàm nunquam audiri. Ac nobis quidem committendum nequaquam erat, quin TE, in illo etiam ipso publici plausus fervore, tametsi forsitan parvitate nostra ignoti, comitaremur, à quo corporibus fortasse longiusculè aberamus, animis certè non magis nobis præsentes, quàm TIBI. Atqué in eâ quidem tam expetitâ, tam solenni, tam TE dignâ pompâ multi utiqué mirabantur multa, laudabant multa. Tenebat quosdam attonitos veneranda augusti vultus TUI majestas, rapiebat alios in admirationem insignis ille Pontificiæ amplitudinis splendor, laudabant pleriq; instructissimi splendidissimiqué apparatus præstantiã, & ne multa, nemo erat, qui non pleraqué in TE vel suspiceret, vel prædicaret, nemo qui ad summam dignitatem desiderari quidpiam censeret. Nobis vero Antistes Illustrissime cum jucundissimum, tum certè maximum dedit spectaculum FASCIA TUA, quam nec spectare potuimus, quin laudaremus, nec laudare, quin vehementer miraremur, ibi enim, quidquid homines vel optare sibi, vel in aliis requirere, & possunt, & solent mirũ quàm luculentè jucundequé perspeximus. Vidimus inclyta amplissimæ antiquissimæq; nobilitatis decora, vidimus præclara absolutissimarum virtutum lumina, vidimus gloriosa justissimorum, maximorumq; honorum ornamenta. Quæ quidem omnia æterna illa providentia sic diademate illo TUO devinxit, ut cum magnam ejus splendoris partem sibi egregia nobilissimorum Majorum virtus, magnam itidem TUA merita vendicarent, tum vero optimum illud maximumq; lumen, cui primùm ea debentur, omnia in Fasciam, & cum Fasciâ

ſciâ in Te liberaliſsimè contuliſſe videatur. Eamqué ob rem dum in felici Antiſtitij Tvi exordio debitum Honori Tvo, dignum ſtudio noſtro munus quærimus; nihil oblatum oportunius eſt, quàm ſi ſacram Diadematis Tvi proferremus imaginem. Quia vero nec ea nobis copia ſuppetit, quæ operi tanto ſatis materiæ ſuggerere, nec ea ſplendoris Tvi fortuna, cui quidquam aliena vel induſtria vel liberalitas adijcere poſſit; pace Tvâ de Tvo ſumimus triplicemqué aut potius trilicem Faſciam è vetuſtiſsimâ gentis tuæ gloriâ, è cœleſti Virtutum Tuarum pulchritudine, deniqué ex ampliſsimâ Honorum Tuorum dignitate, auſpice pietate, magiſtrâ Pallade alacres conteximus. Pauca itaqué ad opus de noſtro addidimus, non quod vereremur, ne riſu critico araneæ audiremus, quæ viſcera quidem in textum vertunt, at pretium operæ muſcas referunt: quamvis enim, quicquid id ludi eſt, bombyce refelli liceret, qui non eo ſanè vilis eſt, quod è ſe penſum ducat, at quia & Arachnæ Minervam, novimus inimicam, & Tuo Diademati linum ſacrum eſſe perſpicimus, & noſtrum deniqué munus gratius fore confidimus, ſi quàm minimum, quod à Te non ſit, contineat. Ideoqué viſum ſatiùs eſt de Tuo Tibi gratulari, quàm gratificari de noſtro. Quod quidem ſi Tv non improbas, in minimis erit nobis cujusquam Apellis cenſura, qua Helenam cujuſdam auro, quàm arte nobiliorem conſpicatus notavit artificem, quod pulchram non poſſet, divitem pinxiſſe.

Non laboramus equidem, nè quis eo nos divitem Faſciam texere voluiſſe ſuſpicetur, quod non poſſemus elegantem. Si enim Tibi placeat, ſatis eſt dives, ſatis elegans. Futurum autem ut non diſ-

pliceat ſperamus quia ut diximus, Majores Tuos Virtutes Tuas, Honores Tuos complectitur, quantaquanta eſt, Tua eſt. Si quid tamen arti defuiſſe videbitur, veniam dabis, quia etiam nos Tui ſumus, & Tui eſſe æternùm depoſcimus.



FASCIA

[redacted]

FAS-
CIA NOVVO-
DVVORSCIA-
NÆ NOBILI-
TATIS.



FASCIAE NOBILITATIS IMAGO E VETERVM MONVMENTIS ADUMBRATA.

NE temerè, illotisqué quod ajunt, manibus, ad opus aggredi videamur, morem ſequimur hominum, qui magnarum artium pericula in obvia primùm, parabiliqué materiâ facere conſueverunt. Sic picturæ deditam manum carbo primùm cretaqué fatigat; ſic aurei crateris effigiem, ſæpe plumbum, aut vilius plumbo lutum præcipit: & ut viciniora operi noſtro ſpectemus, primam nobiliſſimæ texturæ formam viliſſimum quandoqué ſtamen occupat. Nobis itaque Antiſtes Illuſtriſs. è precioſiſſimâ Tvâ ſupellectili Diadema Tibi facturis, non vili quidem facili tamen materiæ artem experiri, clariſſimumqué Tuum nomen in extero quidem, Regio tamen Diademate vel inſcribere libet, vel jam ſuſpicere inſcriptum.

Ac primùm quidem Fasciæ Candidæ majeſtas antiquiſſimis prorſus ſeculis veneranda fuit, regia fuit, ſacroſancta fuit, ut nec regnare crederetur Princeps, qui Faſciâ careret, nec dubium haberet dominatum, qui eam obtineret. Omnibus (ait Politicorum integerrimus Adamus Kontzen Politic. lib. 7. cap. 3. Sect. 4.) Uſitatum regibus diadema eſt adeò, ut nunc quoque regna & imperia Coronæ vocentur. Variæ quidem coronæ fuêre, vetuſtiſsimæ autem Tæniæ ſeu Faſciæ candidæ. Nec abeſt à ſententiâ vir doctiſſimus Lælius Bisciola altero Horarum ſubſecivarum tomo lib. 17. c. 18. num. 4. ubi diſertè, Faſcia inquit candida regum erat diadema. Nec teſtes opus ubi nemo aliud cenſet. Plutar: certè Faſciam ΔΙΑΔΗΜΑ ΒΑΣΙΛΙΚΟΝ, lib. de Fort. Alex: nominat, & ſi nominis habenda ſit ratio, nihil eſt ferè, quod potiori jure appellationem diadematis mereatur, quàm Faſcia. Ælianus enim Græcus auctor libri 15. de animal. c. 1. Diadema, inquit, quid aliud indicat, quàm Faſciam ſeu vinculum? Vinculum autem id Regij capitis fuiſſe prolixè admodum probat Carolus Paſchatius, ijs quos de diademate conſcripſit libris. Quin univerſus populus Romanus, cum à M. Antonio, C. Julio Cæſari Faſciam Lupercalibus offerri videret, in regnum libertatem ſuam verti publico gemitu, teſte 2. Philipp: Tullio, interpretatus eſt. Ipſa deniqué divinarum literarum oracula, dum Alexandri Macedonis

comites regnum inter se partitos, regiam dominationem usurpâsse canunt, illud argumenti adijciunt, quod sibi diademata imposuerint. Ita primus Machab: liber primo capite. Adeò sanè cognata regno Fascia fuit, ut ubiubi spectaretur regni ostentaret dignitatem. Puer erat Joas, at posteaquam cum Fasciâ (nam alia regiæ majestatis ornamenta penes Athaliam erant) à Pontifice productus comparuit, Rex est ab Hebræis salutatus. Imò ne pedibus quidem illigata Fascia regni significationem amittere potuit, cum Pompejo Magno regni affectati nota fuerit aspersa, quod saucium crus candida Fascia obligâsset, cavillante Favonio, nihil referre quâ parte quis Diadema gestaret. Produnt rem Val. Max. lib: 6. c. 2. Ammian. Marcel. Cœlius. Rhodig. lib. 24. lect. Antiq. c. 6. Alexander ab Alex. cap. 28. lib. primi. Neque hominibus tantùm, sed statuis quoqué ingesta Fascia regnum sapiebat. Nempe plebis Romanæ Tribuni, hominem, qui lauream Fasciâ præligatam statuæ Cæsaris iniecerat, in vincula abripi, tanquam regij fautorem dominatus jusserunt: liquido id Tranquillus in Julio narrat. Ita ubique Fascia regina fuit, etiam in ære.

Nec degener sanè ab hac vel indole vel fortuna NOWODWORSCIANUM DIADEMA, quod in Poloniâ, Sarmatiæ videlicet capite, sic effulget, ut vel unum hoc Poloniam totius septemtrionis Reginam non ostendere solùm, sed etiam facere posse videatur.

Non desunt quidem huic imperio illustrium hominum familiarumqué præclara insignia, quæ vel egregia bellicæ virtutis instrumenta, vel publicæ pacis libertatisq; illustramenta jure queant appellari: at quod vel capiti conjunctius, vel regno convenientius Fasciâ videri possit, nequaquam reperias. Cum enim cætera Polonæ Nobilitatis arma solis ferè apta patriæ manibus videantur, tum verò FASCIA summam gloriosi hujus corporis partem jure quodam suo ita sibi deposcit, ut nusquam nisi in capite conquiescat. Propugnent sanè pro Republicâ Enses, reprimant hostem Hastæ, excubent pro patriâ Leones, tueantur justitiam Secures, protegantur cives manibus, quicquid armorum in Equestri ordine, velut instructissimo Poloniæ armamentario continetur, pro communi salute promatur: at armare & ornare patriam, unum ferè Diadema potest.

Quidnam nostra hæc oratio velit Pontifex Nobilissime, nihil attinet interpretari, interpres sermonis nostri est TVA Majorumque TVORVM in patriam pietas, quâ TE virtute nemini unquam concedere voluisse, vel illis ipsis testibus confirmamus, qui in eodem studij amorisqué in patriam, patriæqué caput Serenissimum Regem nostrú, curriculo, quantò studiosius, tantò laudabilius TECVM certârunt.

Quanquam aliud præterea nobis Diadema de TE TUUM sugge-

ſuggerit, Principum Te heroumqué purpuratorum ſtirpem eſſe, & ſtirpem quidem talem ut magni illi Maſoviæ Duces, quorum Tv ſanguis, nihilo à Te minùs retuliſſe videantur, quàm in Te contulerint. Nequé neſcii ſumus aliud Principes illos habuiſſe Diadema: Tibi tamen regium divinitus oblatum eſt, ut conſtaret altius Te in Republicâ evaſurum fuiſſe, quàm ipſi perveniſſent. Non indignè Principes illæ Animæ hæc à nobis audirent, ſi Te per tot tamqué ſublimes gradus ad ſumma aut ire, aut jam perveniſſe ſpectarent.

Felicior verò Tva hæc quàm Cæſaris Faſcia eſt, Præſul Nobiliſſime, illa enim communem patriæ gemitum excivit, Tuam ſine voluptate nunquam aſpexit Polonia, nunquam geſtavit; geſtavit verò at ſemper in capite. Ac tametſi ea fuerit Tva Tuorvmqve virtus, ut patriæ causâ imum etiam in Repub. locum æquo animo capere non dubitâſſet, ubiqué tamen Fascia Diadema fuiſſet, nec intereſſet quâ parte geſtaretur quæ in ſtatuis etiam marmoribusqué virtutes Tvas claritudinemqué loqueretur.

Illud autem prodigii non diſſimile videtur, quod in tanto ſanguine, quo area Faſciæ Tvæ redundat Diadematis candor minimè temeratus reluceat, eam ſine controverſiâ notat amplitudinem quæ tametſi ad purpuram Principum ortum referat, ſuopte tamen ſplendore ſic eniteſcit, ut magnis illis nominibus, neutiquam gloriari velle videatur, niſi fortè virorum fortium bellicâ virtute, hoſtiumqué ſanguine is candor effloruiſſe exiſtimandus ſit. Habet enim id cruor hoſtilis, ut reddat candidiſſimos, quos maximè rigaverit. Quod non quidem miraculum uni Fasciæ Tvæ tribuere parati fueramus, niſi Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ Tænia in ejusdem vel fortunæ vel gloriæ conſortionem veniſſet. Rem eam paucis Leonclavii & Ortelii face prolatâ jam aperimus. Auſtriam quinque olim Alaudæ avicæ cœleſtino, ut ait Ortelius, clypeo impreſſæ ſignabant, donec Leopoldus Marchio V. in Ptolemaidis expugnatione candidâ Faſciâ cum ſuis ſuccinctus, cum victor hoſtili ſanguine totus maderet, nec Faſciæ candorem cruor impius violaſſet, virtutis lætiqué ominis ergô, rejectis Alaudis Faſciam candidam ſanguineo prætentam ſcuto Auſtriæ dedicavit, eamqué glorioſi hujus cimelii hæredē ſcripſit, quod quàm religioſa ampliſſima illa Regum Regnorumqué mater conſeruet, univerſus terrarum orbis & videt & miratur. Miramur & nos Fasciæ Tvæ tantam æmulam extitiſſe, pariqué utramqué virtute partam eſſe gaudemus.

Quæ quidem non eò retulimus, quaſi inſignia hæc inter ſe commiſſuri, id enim tametſi citra ambitionem fieri poſſet tamen nec tu probares, & Arma Novoduorſciana tali contentione

nequé

nequé acui postulant, nequé poliri, sed satis fuerit nobis ostendere Gloriosam FASCIÆ Tuæ imaginem, in Amplissimâ Principum, Regum, Imperatorum Majestate effulgere.

Licet autem candore oblædi aspectum, viresqué oculorum dissipari, & vulgo experientia, & doctis ratio persuadeat: id tamen Diademati Tuo egregia virtus impertivit, ut invidiam tantummodò splendore suo fatiget, at quibus grata virtus est, voluptati est præclarissimum Generis Honorisq; TUI lumen. Et sanè colorum princeps albus est, quem purissimum esse Thylesius libri de coloribus cap. quarto confirmat, & si atrum, qui infimus & inauspicatus est excipias, nullus est color qui albi sit expers, ipse autem expers omnium, lucem quâ nihil pulchrius, nobiliusqué orbis habet quodammodo æmulatur, ut non injuriâ diei quædam imago à Cœlio nuncupetur, regiusqué ac nobilissimus sine dubio habitus est, antequam conchyliorum sanguine regia tingi cœpta majestas est, tametsi regnante etiam purpurâ Cyrus minor, cum judicaret decere viros fortes ad victoriam, aut si aliud fortunæ liberet, ad mortem, splendidissimo cultu procedere, candidis exercitus suos chlamydibus ornabat, ut in Artaxerxe Plutarchus autor est. Quin ipsis Persarum Regibus candida stola peculiare fuit ornamentum, quod Dario devicto Alexander cum reliquo cultu Persico usurpâsse à Diodoro Siculo. lib. septimi, numero 77. scribitur. Adstipulatur dictis multis seculis superior Assyriæ Monarchiæ auctoritas, quæ nunquam Regibus Purpuram sine veste candidâ permisit, ita ut alius nemo purpureæ chlamydi partem candidam adtexeret, ut lib. primi Genialium Dierum capite septimo ac vicesimo narrat Alexand. Neapolit.

Sed nè peregrè arcessamus candoris nobilitati argumenta, Princeps & conditor Gentis Polonæ Lechus aquilam in perenne Regni decus optaturus, noluit nisi albam Martini Cromeri libro secundo teste, ut non virtus solùm, sed etiam candor alitis, ut Sarmatica Nobilitas avitæ gloriæ tesseram & auspicium haberet immortale.

Vide Antistes Illustrissime quantopere FASCIÆ TUÆ candorem tot Regum, tot Regnorum, deniqué patriæ ipsius majestas vel æmuletur vel commendet, cujus post hominum memoriam tot Principes volverint esse candidati. Fulgurent aliorum purpuræ, & ambitiosos auri fulgor jaculetur radios, TE Aquilæ Polonæ concolor Diadema feliciùs ornat, quàm si antiqua Tyrus omnes suas in TE dibaphas congessisset. Veterum porrò Principum fascias, ut candore insignes, ita scripturæ non planè expertes fuisse exempla demonstrant. Nam Diadema, quod Armeniæ Rex Tigranes victus ac supplex ad Pompeij pedes abjecerat, extima quidem parte hanc epigraphen

phen ΤΙΓΡΑΝΌΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, intima verò victorias triumphosqué ipſius, opere Phrygio pictos continebat, quod è veterum nummis ſe didiciſſe Joannes Pierius lib. Hieroglyph. 41. cap. 12. confitetur. Quin immortalis ille ſeculorum REX in JESU ſacerdotis corona Helai Tobiæ Idaiæ & Hei Principum, qui materiam operi ſubminiſtrâſſent, deſcribi, internuncio Zachariâ, juſſerat. (Zach. 6.) Principes autem illos Hebræi, ut Gloſſa ordinaria & Cornelius à Lapide, aliiqué ejus oraculi interpretes meminerunt, non abſurde fuiſſe Danielem, Ananiam, Azariam, & Miſaëlem judicant, dignos profectò quorum nomina ſacroſanctus Pontificis vertex geſtaret. Placet nobis itidem tanta non mirari modò, ſed etiam imitari exempla Nobilitatisqué TUÆ Diademati quod nullius unquam Cnei pedibus accidit, non peregrinorum geſtorum miracula, non exterorum Regum ſuperba nomina, ſed glorioſiſs. Majores TUOS aut inſcribere, aut intexere, nemo enim meliori jure & ſacrum verticem TUUM ornare, & capitis tam auguſti ſanctitate conſecrari atque illuſtrari, quàm ii, à quibus cœleſti quodam munere Poloniæ vel procreatus es, vel ſanguinis morumqué diverſitate nunquam diſceſſiſti, quique Faſciæ quàm teximus materiam nobiliſſimam, hoc eſt, TE ipſum ſuppeditârunt. At cujuſnam Phrygionis, cujus polymitarii id operis fuerit? Abſit ſanè ut illiberali manu tantorum Principum Diadema tractetur. Nemo dignius ornare Faſciam TUAM poteſt Illuſtriſſime Domine, quàm itidem Majores TUI, qui ampliſſimis virtutibus rebusqué geſtis hoc diadema meruerunt, ornaverunt TIBI deniqué tradiderunt, ſacrosqué vultus ſuos Tæniæ TUÆ non ſecus ac ſe Minervæ clypeo Phidias, admirabili virtutis artificio illigârunt.


Et quia illigationis meminiſſe contingit claudenda nodo Faſcia eſt. At quinam is, aut cujus manu? Placuerat Alfonſo Arragonum Regi præſectis Gordij nodi vinculis regiæ virtutis induſtriam deſignare. Placet & nobis, boniqué ominis eſt ille idem at integer nodus, quo Regni Aſiæ fortunam fatumqué Gordius à vomere ad ſceptrum invitatus, ſudoremqué arando conceptum Regio Diademate deſtringere juſſus devinxerat. Cum enim ab opere feſſus templum cum jugi loro ingréſſus, delatum oraculo regnum accepiſſet, tam artificioſâ atqué inexplicabili perplexitate lorum colligavit, cui diſſolvendo nulla par inveniretur induſtria. Pendebat igitur nodus eo conſecratus elogio, quo Rex Aſiæ deſignabatur, qui eum explicaret. Narratur res à Q. Curtio Rufo, lib 3. de rebus Alexandri, & Gordij vinculi paræmia omnium linguis teritur. Hoc igitur Præſul Ampliſs. FASCIÆ TUÆ ligamen eſto, quando & Phrygius ille,

 & Tuos

& Tuus hic nodus regiâ adstrictus manu est, atqué ut ille in templo, ita hic, olim quidem in plerisqué per Majores Tuos, & nunc per Te in Camenecensi, Premisliensi, deniqué Posnaniensi basilicâ dedicatus nulla aut vi aut arte distrahi posse videatur. Quanquam vinctus Asiani fortunam hic nolumus, cui quidem Alphonsus Rex insultâsse videtur, cum sectum ingeniosæ vel fortitudinis vel felicitatis monumentum præferre non dubitavit, uti indicat Tipotius. Ac illum quidem fatalem nodum, ut vis abfuisset, tempus edax rerum profectò restrinxisset, & vetustatem occupans Magnus Macedo acinace intercidit; at ut pulchrius diuturnitate Tuum Diadema est, ita nodo arctiore devinctum. Quod autem tanta Tuorum Tuaqué merita colligârunt, nulla violabit antiquitas, quia custodit æternitas.

Sed subeat jam tandem conspectum Tuum Fascia Tua non jam qualem è veterum scriptis aut dictis contexuimus, sed qualem Tu ab amplissimis Majoribus Tuis accepisti: in quâ fortunam fortasse quisquam suspiciat ac deprædicet, at nos Æternam Providentiam veneramur, & quia Te è tam nobili fonte, & quia ex illis tantum flumen sapientissimâ libertate voluit promanâsse.





NOVODVORSCIANÆ NOBILITATI SACRVM.

ADAMA NOWODWORSKI EPISCOPVS POSNANIENSIS.

Purpureis mitra hæc radios dabat ante dinarchis:
A sacra radios nunc capit ipsa coma.



Omnes boni ſemper nobilitati favemus: & quia utile eſt Reipublicæ nobiles eſſe homines dignos Majoribus ſuis, & quia valere debet apud nos ſenex de Repub. meritorum memoriâ, etiã mortuorum: *Romanorum Oratorum Princeps.* Orat pro P. Seſtio.

Cum in terris imago & umbra ſummi illius Dei Principes ſint, curare potiſsimùm debent, ut quemadmodum DEUS Angelorum Hierarchijs in diverſos ordines gradus atque officia diſtributis imperat, ſic illi penes ſe viros nobilitate & virtute præſtantes habeant. *Scipio Amiratus Diſſertat. Polit. lib. 2. Diſcurſu 8.*

Ipſa generis nobilitas ſpem facit fore, ut fiant Domini regionis. *Euripides in Ino.*

Inſtillata Patris virtus tibi. *Homer. Odyß. & Plutarchus pro Nobilitate.*

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO D. ADAMO COMITI A NOWODWOR AVITI DIADEMATIS GRATULATIO EXEGETICA.

ANtequam vel Tibi Majores Tvos vel Majoribus Tvis Te gratulemur, Antistes Illustrissime, primò eorum, quos, non tam fortunæ, quàm cœlestis providentiæ munere Diadema Tuum continet, aspectu moneri videmur, ut nonnihil iis respondeamus, qui quò suas tenebras consolentur, ita de virtute philosophantur, ut splendorem generis, gloriosamqué nominis antiquitatem, è bonis humanis prorsus exterant, nequé unde profectus sis, sed qui sis spectandum esse dictitent. Nimis equidem stoica hæc an Mariana potius factio est. Nam proprium quidem hominis bonum virtus est, sine quâ nemo bonus esse, quâ uti nemo malè potest: at nihil præterea boni mortalibus à Deo impertiri, nemo profectò dixerit, qui modo aliquid habeat sanitatis. Nobilitas enim ut virtutis partus est; ita præclarissimum parandæ immortalitatis instrumentum, adeò quidem, ut sæpenumero plus ad gloriam conferat mediocris virtus magnâ instructa nobilitate, quàm magna probitas natalium sepulta obscuritate; hæc quippe nunc primum è tenebris viam quærit, arduoqué ad lucem eluctatur ascensu, illa in summo posita, mediocritatem virtutis, Majorum magnitudine compensat, & sanè magis delectat oculos sigillum in aprico, quàm in tenebris colossus. Quæ quidem non perinde dicta volumus, quasi nascendi felicitas, virtute prorsus destituta, sufficere ad gloriam possit. Quid enim tum profuerit sanguine longo censeri, quem indignum sanguine degener prodat animus? quid profuerit illustrium avorum fumosas jactare imagines si vitæ obscuritas vix hominis simulacrum superesse patiatur? Sed de his non agimus, quos qui linguâ styloq; incursant, à nobis sentiunt. Vera enim nobilitas est generis splendor & majorum partus virtute, & posterorum præclarâ imitatione cumulatus. Prodit enim suorū gloriam quem piget imitari. Itaqué quâ de loquimur Nobilitas est, quæ non excordes Arcadas, non infantes Cecropidas, non truncos Hermas, aureasqué pecudes efficit: sed viros gratiæ utilissimos, virtuti addictissimos immortalitate dignissimos suppeditat. Quorum quidem facilè Principem esse Te Antistes Magne meritò diceremus, id enim & Majorum Tuorum & Tuæ virtutes loquuntur, sed ut modestiæ Tuæ pareamus,

mus,

mus, in eorum Te numero censemus, quibus splendor gentilis, non inanis jactantiæ incitamentum, sed rerum immortalium accommodatissimum est invitamentum. Verum enim virtutes Tvas Fascia Tva paullo legendas nobis offeret, nunc clarissimam stirpis gentisqué Tvæ lucem intuemur, atqué è quibusnam tandem profecta sit astris attendimus.

Ac illud quidem Tibi gloriandum imprimis est Antistes Magne, Fasciam Tvam non peregrè huc illatam, nec peregrinis contextam esse manibus, sed proprium germanumqué Poloniæ partum, patriæqué semper fuisse & esse decus immortale: deinde cum pleraq; amplissimi hujus Regni ornamenta familiarumq; illustrium stemmata, vel fatis prorsus jam defluxerint, vel solitudine posteritatisq; inopiâ occasum spectent, Fascia septuaginta propemodum non capita, sed ut nobilissimas ita numerosissimas Tribus felicissimè coronari, ut cum aliorum stemmatum sit viros clarissimos numerare, Fascia possit gentes recensere, minimèqué verendum videatur, ne unquám deficiant, quos tam fæcundum illustrium hominum cinxerit Diadema.

Cujus quidem antiquitatem ortumqué quod attinet, superat id omnem ferè Historicorum Fastorumqué memoriam, ut pleriqué scriptorum malint ingenuè nescire, quàm temerè divinare. Lætamur equidem Antistes Amplissime, id Te divinitus sortitum esse insigne, cujus neque principium satis à mortalibus sciri queat, neque finis timeri debeat, ut eâ re præclarissimam quandam æternitatis referre imaginem videatur. Quanquam autem hæc tam abstrusa origo in summam Tvi Tvorvmqué cedat commendationem (habent enim id magna, ut eorum incunabula, vel spatiorum immensitate, vel temporum diuturnitate ab humanâ cognitione natura secernat) nihilo tamen dilucidiorem ei pariunt gloriam monumenta scriptorum, qui ingenuâ illâ ignoratione non contenti difficiles, ac clarissimos Fasciæ Tvæ ortus velle videntur indicare. Nam alij quidem luculentum id religionis Christianæ signum esse, ac sacrum quoddam Diadema perhibent, quod Dersicraio viro amplissimo, è sacro fonte exeunti Miecislaus Princeps Poloniæ gratulabundus imposuit: alii magnæ in patriam, principemq; fidei, adeoqué virtutis bellicæ volunt esse monimentum, quod viris strenuissimis, qui Haliciensi prælio fortem Reipublicæ navârant operam, gloriosus ille Regum Imperatorumqué victor Boleslaus Crivoustus benignissimè impertiverat, dum illustria illa capita piis hiantia vulneribus, propriis ipse manibus, non tam alligaret, quàm coronaret. Sive autem è cruento hoc, sive è salutari illo fonte Armorum Tvorvm gloria profluxit,

magna

magna profectò atque præclara eſt. Sed nos eam utrinqué auctam vehementer, ne temerè credamus, egregia Majorum TUORUM in Deum religio, & inſignis rerum domi belliqué geſtarum amplitudo facit; ut duo illa divinarum juxta ac humanarum rerum decora ſanctimonia, & patriæ amor, pulcherrimum venerando TUO vertici diadema, tot jam ante ſeculis videri poſſint præparâſſe, quod quidem tam diuturno, tot clariſſimorum hominum uſu, feliciſſimâ TIBI hæreditate videmus obveniſſe. Effulſit enim hoc decus, ut viciniorem nobiliſſimæ ſtirpis TUÆ originem attingamus in inclytá Lezeniorum proſapiâ, indequé cum ſanguine in Nowodworſcios translata commutavit quidem cognomentum, at ſplendori non modò detrimenti nihil, ſed etiam plurimùm fecit aceeſſionis. Non eſt attritum Diadema TUUM Præſul Magne nullâ labis cujusquam ſuſpicione violatum, ſed uſu ipſo eò clarius eniteſcit, quod plurimos eosq; magnis ac diverſis honoribus auctos ornaverit. Vix enim ullum honorificum in Republicâ munus eſt, quo non pleraqué gentis TUÆ lumina eluxerint. Hinc Magni Præfecturarum Præſides, hinc ampliſſimi Senatores hinc Antiſtites celebratiſſimi, hinc cæteri publicis honoribus inſignes viri tantò numero tamquè prolixâ ſeriè prodierunt, ut ſi vel hi tantummodò ſpectentur, non claritudine tantum, ſed etiam numero Novoduorſciana familia nulli videatur eſſe conceſſura.

Tot igitur gemmæ TUUM Diadema illuminant tot ſidera ſuos in te conferunt, vel potiùs TUOS in ſe radios mirantur. Nam illud profectò reticeri veritas prohibet, tantùm claritatis Majores tuos TIBI reliquiſſe, quaſi nihil addendum ſupereſſet, tantùm verò TE addidiſſe, quaſi ab illis nihil accepiſſes, ut controverſum feceris, plus ne TU à Majoribus an Majores à TE ſplendoris videbantur mutuati, faceſſat invidia, niſi ea, quæ ſunt, non dicimus. TU verò Præſul Ampliſſime ignoſcere debes, ſi dum ſtudemus veritati, TUÆ minus parcimus modeſtiæ. Quanquam non ſoli hæc de TE nec ſine auctore teſtequé loquimur. Locuples ſanè teſtimonium eſt ab Infulis tribus, quibus te virtus meritaqué tua redimieruut. Cum enim univerſi frui TE ſimul nequeant, facit optima illa maximaq; Bonitas, ut ſucceſſione vicariâ fruantur quàm plurimi. Sic ſempiternus Auctor naturæ ſolem & lunam duos lucidiſſimos mundi oculos ire perpetuo jubet, ut quoniam prodeſſe omnibus ſtandò non poſſunt, proſint cuncta obeundo. Obiviſti ſol præfulgide orbem Poloniæ, eumqué à Podoliæ Oriente, ad uſque Poloniæ occidentem feliciſſimè permenſus virtutum TUARUM luce omnium oculos vel perſtrinxiſti, qui inviderent, vel qui faverent, recreâſti. Neque tamen ſuprema hæc TUI curſus meta eſt, ſuperet ſolſtitialis linea quam Magnus Dobrogoſtius ſua illa cruce in hoc Sar-

matiæ cælo deſcripſit. Quanquam cœleſti id providentiæ libet potiús relinquere, quàm divinando ſcrutari. Licet enim è vitæ morumqué TVORVM ſideribus prædici nõ poſſint niſi vera, niſi felicia, tamen nè per alienam TIBI modeſtiam gratificari velle videamur, futurorum ut notitiâ ita adminiſtratione, cœlo permiſſa, TE Antiſtes Illuſtriſs. quàm poſſumus amantiſſimè humillimèqué ſalutamus, ſplendoremq; FASCIÆ TUÆ, hoc eſt egregias Majorum TUORUM virtutes, gloriamqué occaſus expertem ita TIBI gratulamur, ut ſimul majorem in modum lætemur, eam non minùs Clariſſimæ Novoduorſcianæ domui, quàm reliquis omnibus, à quibus condita & propagata eſt, eſſe obligatam. Vive Antiſtes magne, vive clariſſimum Nobilitatis Polonæ ſidus, radiiſqué quos TIBI & tanta naſcendi felicitas, & virtus egregia paravit, ſic eniteſce, ut ea quæ hactenus conſecutus es, non penſum debiti ſui, ſed argumentum meriti ſui læta Patria fuiſſe glorietur.

FASCIAE NOVODVORSCIANÆ PAVCA E PLVRIMIS ORNAMENTA.

QUantam animo caperes voluptatem Antiſtes Illuſtriſs. ſi in hoc auſpicatiſſimo honoris TVI aditu, Illuſtriſſimos Majores TVOS & comites haberes, & gratulatores; quàm item præclarè illi ſecum agi putarent, ſi TVÆ dignitatis ſplendore coram frui poſſent, divinare facilè etiam non augur poteſt! At quia id immortali, humanæ mortalitatis, lege vetitum eſt, viſum nobis eſt paucorum è majoribus Tuis non umbras ſed lumina, non præſtigiis artevé damnata, ſed liberali Palladis artificio productos felicitatis TVÆ comites addere. Quanquam & illi è cœlo jucundiſſimè TVOS ſpectant honores, & TV ab illis nunquam de eſſe videris, in quo vivere nunquam deſtiterunt. Spectares verò eos Antiſtes ampliſſime, tales omninò, quales ſumma cum voluptate ſpectavit olim ac venerata eſt univerſa Polonia: An non etiam vniverſus orbis? Eos, inquam, quos avita claritudo generis, uſitatos egreſſa annalium faſtos, quos innumera virtutum decora Militiæ Togæq; parta, ſupra omne auguſtiſſimi honoris faſtigium in nobiliſſimo Poloniæ regno extulerunt: quos deniq; clariſſimam ſtirpis Regiæ propaginē, Duces Maſoviæ inclytos ac rurſus Reges Poloniæ auguſtiſſimos priſca vidit ætas & mirata eſt. TVI nempe ſunt illi Zemoviti Princi-

Principes clariſſimi, TVI Januſſii propugnatores patriæ fortiſſimi, TVI bello invictiſſimi Conradi, TVI Boleslaj ſtrenuiſſimi Duces, ac TVVS proximè Troidenus Boleslai Maſoviæ Principis commendatiſſimi filius, cui, cum interZemovitum & Vanconem ſeu Venceslaum ſuos germanos, trifariam divideretur Maſovia, TVVM gentilitiũ Caſtrum Novoduorum hæreditario jure obtigit poſſidendum. Inde Nobiliſſima Comitum à Novoduor poſteritas ad uſq; noſtra tempora & ad TE verum hæredem, continuò ſanguinis ac ſplendoris nobiliſſimi ductu devenit feliciſſimè, in quibus Duces belli fortiſſimi, Antiſtites religioſiſſimi, veri deniqué patriæ defenſores laudatiſſimi per quadringentos ampliùs annos prodibant innumerabiles, qui in gloriæ immortalitatem Faſciam gentilitiam Virtute bellicâ, Martio ſudore ſanguinequé tranſcripſerunt, & complurium ſeculorum labore æternitatem ei certiſſimam pepererunt. Sed verò fuerant etiam, quod dixeram, qui non ferro ſed ingenio, non armis & enſibus, ſed infulis & tiaris, non aſperitate bellicâ, ſed mitioribus ſtudijs doctrinâq; admirabili, plurimisqué alijs, ijsque inſignibus titulis, primi ſanguinis nobilitatem, ſummumqué Faſciæ TVÆ ſplendorem auxerunt, dignumqué avitum diadema conſuerê, quod non galeatos tantùm Principes, ſed laureatos etiam doctores redimiret. Talis fuit Magnus ille rebus pro Eccleſiâ & Patriâ inſigniter geſtis Comes á Novoduor Dobrogoſtius Novodworskj, qui quicquid domi ſcientiæ parari poterat egrigiè complexus, uberioris doctrinæ deſiderio, magnis impendijs, majore animo peregrè profectus eſt, ubi & morum mirâ integritate omnes in ſui amorem, & præſtantiſſimæ indolis felicitate, in admirationem pertraxit, Patavijq; humani diviniqué juris lauream conſecutus, non ſeptemtrioni ſolùm, ſed remotiſſimis etiam populis documentum edidit nationem Polonam nec ingenii præſtantiâ, nec ardore diſcendi, nec humanitatis commendatione ulli prorſus peregrinarum gentium concedere. Relictis itaqué in Italiâ non paternæ rei detrimentis, non ridendâ opum luxusqué jactantiâ, ſed egregiâ ſanctimoniæ ſapientiæqué opinione, felici morum doctrinæqué commeatu parato, in patriam redux, ita civium in ſe oculos animosqué convertit, ut ſacerdotio vixdum initiatus, ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ magiſterium Decanatumqué à Pontifice Cracovienſi, ad laudum quoquè divinarum ſacriqué cantus præfecturam à Gneſnenſi Archiepiſcopo, denique ad ſummum Cleri Collegium, à Poſnanienſi Antiſtite magnis ſtudijs depoſceretur. Interea minimè paſſus ſcientiam illam ſuam, tot laborum, itinerum, vigiliarũ, impenſis quæſitam, vel inerti otio hebeſcere, vel privato contentam ſtudio, ſterilem deſidere: ita omnium

commodis se addixerat, ut Nobilissimi hominis domus sacrarium quoddam esse videretur, unde ab omnibus consiliorum oracula petebantur, essetqué nemo, qui non inde læto, vel æquo saltem animo discederet. Quâ quidem DOBROGOSTII humanitate sapientissimâ, vel humanissimâ sapientiâ factum erat, ut Polonja nequaquam Romæ veteres illos Ælios Mutiosqué invideret, quorum domus, quasi juris quædam oracula consultoribus semper patuisse dicuntur. Talis in privatos DOBROGOSTIVS; at qualis erga utilitatem publicam fuerit Ecclesiæ Gnesnensis senatus testis esto: qui cum Zemoviti Ducis Maroviæ, infesta arma, quibus Antistitij vacantis bona hostiliter populabatur, Loviciamqué arctâ premebat obsidione, nec reprimere nec placare posset, DOBROGOSTIVM ad Principem infulam communi consensione vocavit, ejusqué nec dum Præsulis objectu & oppidum & prædia protexit. Vnicus tum in tantâ Sacerdotum frequentiâ repertus est NOWODWORSKI, qui non dum quidem contraveniente Ludovico Rege oblatam sedem adierat, justum tamen & tenacem propositi virum, non vultus obstantis tyranni mente movit solidâ, stetit nequaquam fractus injuriâ, nec cœptam meritorum suorum seriē alienâ iniquitate vel turbari vel intercipi passus, magnum de Rege, majorem de victoriâ, maximum egit de se ipso triumphum. Ludovicus enim virtute viri, suâqué conscientiâ victus, saniora cœpit consilia, & cum gratificari aliter læso non posset, egit sedulo, ut Posnaniensem cum potestate regeret Ecclesiam. Rexit, quâ prudentiâ, quâ religione, quâ felicitate, inde constet, quod absens (Rei autem publicæ causâ aberat) Gnesnensis iterum Archiepiscopus à Clero Regequé Wladislao fuerit designatus. Redux ab Vrbano VI. Pontifice Max. publicâ Regis, regniquè Poloniæ gratulatione primus patriæ princeps est salutatus Major (quanquam non se ipso effectus) summâ vigilantiâ pro Religione excubare, summâ constantiâ patriæ prospicere, summâ benignitate consilij, requiè inopes sublevare, suarum esse partium ratus; quicquid in Ecclesiam ornamenti, quicquid in Rempublicam commodi, quicquid in miseros opis conferre potuit, id religiosissimè, fidelissimè, Deo, Patriæ, civibus, impendere nunquam intermisit, tantúmqué sanctissimi Præsulis, sapientissimi senatoris, optimi Pastoris universæ posteritati specimen repræsentavit, ut præcipuum Fasciæ decus DOBROGOSTIVM esse crederemus, nisi TE Antistes Illustriss. iisdem prorsus ornamentis radiantem haberemus, idque causæ sit, quod admirandas amplissimi viri virtutes tam paucis perstringamus, quia vivam earum in TE imaginem universi intuemur, in quâ Præclarissima Magni Dobrogostii vita luculentiùs elucescit, quám humanâ facundiâ exprimi posse videatur.

Enim-

Enimverò Tuæ divitis animi Tui præsentes ac propriæ dotes, non alienis Majorum laudibus, quasi longinquis adjumentis opus habent. Satis ampla laudatio est, quam propria pariunt decora; nec Avorum imagines ibi quæras, ubi quotidiana præclarorum facinorum exempla non desunt. Mitto itaqué Gentilium Tvorvm præconia, quæ nequé exiguum caperent libelli spatium, & ditioris ingenij venā uberioremqué dicendi vim requirerent. Summum est, Te Majorum vestigijs insistere, & mansuetiora secutum augendi decoris consilia; post binos Novoduorscianæ Gentis inclytæ Posnanienses Episcopos, tertium Te ad idem honoris culmen ascendisse. Vadis, ô Amplissime Antistes, Qua proceres abiëre Tvi, neque aliud super est, quàm ut eodem, quò illi præiverant, fortunatus pervenias.

ΠΑΡΩΔΗ.



Ic sacræ Regum progenies suos
Adornat ortus! sanguine Principum
Prognatus Heros sic vetustum
Nobilitate decus perennas!
Sic, multa TE per secula promouens,
Genti vetustas nectit origines,
Ceras Avorum dum recenset
Purpureos numeratq́ fasces!
Sic sceptra sanctas narrat & Infulas,
Census & almis pignus adoreæ!
Non erubescendis reponit
Sic Atauos Proavosque fastis!
Objecta (fallor) quæ series virûm
Mentem reversat! ludit amabilis
An me hîc imago! Gentis
Innumeros video Dynastas.
Videtis illum! quàm mea lumina
Vultu sereno magnanimus ferit
Conradus, unum quem severi
Semper opus tenuit Gradivi!
Et Zemovitos cernere si libet;
En bina belli fulmina, quos meus.
Suspexit orbis dum invidendos
Deproperant Lechiæ triumphos,
Bolesilavos num video! Duces
Illi patritæ gentis & inclyti
Ceu gemma Regni, sive Martis
Seu placidæ micuerê signa

Tranquilla

Tranquilla pacis (pax ô amabilis
Sani voluptas unica seculi
Quis te redonabit fruamur
Ut melius requie togatâ !)
Hem Troideni (grande loquor decus)
Fas ora , vultus cernere patrios
Moresq; regiamqué mentem
Continuâ serie sequacem
Gentis patritæ. Tun' Novoduorsciam
Sortitus arcem ! Ten' series patre
Gaudet nepotum ? à Ten' honores
Et Comitum decora alta Avorum?
Hâc stirpe nati sunt Comites mei
Orbi Polono, quos toga, quos sagum
Fecêre quos illustriores
Et tituli, sacer & tiaras.
O quot feraces styrps ea surculos
Virtutis almæ protulit & boni,
Dignos quibus longo dicentur
Marmore non perituri horores,
Non fallo, vivam spirat imaginem
Antistes; ingens & patriæ decus
Et gentis illustris propago.
Mens veterum reparare famam
Durâ quam adurget solicitudine,
Priscos priorum crescere per modos,
Ut gloriæ fructu decoro,
Et foliis renovetur arbos
Olim Polonis conspicuum sata
Ingens in agris; scilicet inclyto
Futura ligno honos decusqué
Et trepidæ patula umbra plebi,
O te beatum cui domos inclyta
Non mutuatis fulget honoribus
Quos non levis sors, non favores,
Propria sed peperisse virtus
Narratur. At te hic non proavum nitor
Non prisca Avorum gloria, non genus
Illustre, sed præclara morum
Temperies, probitasque magnis
Aptâsse fertur fascibus & mitris.
Et dona doctæ Palladis, & pia
Mens taminatis cassa culpis,
Crimen & omnigenum perosa.
Unde haud honores, tertia sit licet
Adjuncta Posnæ, terminat Infula;
Promittit ultrò pulchra virtus
Editiore loco videndum
Te Magne Præsul. Ferrea scilicet
Ut vincla iungens Herculeus lapis

Connectit orbes annulosquê
Ordine perpetuo catenat.
Honos honorem sic sequitur fluit
Sic ex vetustis alter honoribus
Honos, catenatiq́. certo
Proveniunt placidoq́. nexu.

FASCIAE NOBILITATIS NODVS.

Seu Superiorum Coronis.

HÆc sunt Præsul ILLVSTRISSIME præclarissima Gentis TVAE lumina, hi sunt DIADEMATIS TVI & conservatores & propagatores, cum his TV ut sanguinem, ita virtutem, virtutisq; partum gloriam ac nobilitatis splendorem habes communem. Quin autẽ liberaliores in percensendis Majoribus TVIS fuerimus, id equidem cum incredibilis enumerandorũ multitudo & nostra tenuitas fecit. Plura enim Patriæ ornamenta FASCIA TVA comprehendit, quàm vel industria nostra complecti, vel stylus cujusquam assequi possit. Injuriam tamen nè illi quidem quæri possunt quos tacuimus. Pictores enim hîc imitamur, qui turbam repræsentaturi duos tresvè totos pingunt, quorundam vix summa capitum, reliquorum nè umbras quidẽ adumbrant, nullâ prorsus vel pingendorum injuriâ, vel artis invidiâ. Quare nemo nobis vitio dederit, qui propositum nostrum, libelliq; angustias spectaverit, præsertim cum è paucis hisce, egregias reliquorum virtutes æstimari quàm benè tam facilè posit. Cæterum si quis omnium laudes nosse peroptet, is in TE uno, quod quantò fidentiùs repetimus, in TE inquã uno, virtutes omniũ amplitudinemqué singulorum, liquidò valeat intueri.



FAS-
CIA NOVVO-
DVVORSCIA-
NÆ VIRTV-
TIS.



FASCIARVM EXTERNARVM CVM NOWODWORSCIANARVM VIRTVTVM DIADEMATE SYNERISIS.



Pectata satis Natalium TUORUM FASCIA est magno seculorum intervallo à Majoribus TUIS elaborata Illustriss. Antistes spectare jam liceat DIADEMA VIRTVTIS TUIS ipsius manibus centextum, cujus quidem imaginem prolaturi, eadem illa quæ ante artis experimenta virtute duce repetimus. Neque verò id honestamenti genus censeri debet insolens. Licet enim receptum magis sit virtutis ergô quàm virtute coronari, quia tamen virtus ipsa sibi præmium, ipsa sibi ornamentum est meritò addidimus, ipsa sibi suisqué diadema est.

Atque ut ante hominum docuerunt exempla, regnum illis deferri solitum, quibus Fascia regàlis cessisset, ita nunc eruditorum consultis declarandum, FASCIAM deberi, quibus regnum, sapientum tribuunt suffragia, Certè Oratorum Rex tertio de finib. lib. Quàm gravis, inquit, quàm magnifica, quàm constans conficitur persona sapientis, qui, cum ratio docuerit, quid honestum esset, id esse bonum semper sit necesse est beatus, verèqué omnia ista nomina possideat, quæ invideri ab imperitis solent; rectius etiã appellabitur Rex quàm Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit, rectius Magister populi, id enim est Dictator, quàm Sylla, &c. Nec abnuit vates Venusinus libri primi, prima epistola, qui de viro bono è stoicorũ sensu ita pronunciat.

Ad summam sapiens uno minor est Jove dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

Rei tantæ tantis auctoribus tribuit calculum hunc Romanæ stoæ Princeps Epistola 37. Si vis omnia tibi subijcere, te subijce rationi. Multos reges, si te ratio rexerit. Accedit Magni Gratiani Præceptor, qui in Monosyllabis. Qui rectè inquit faciet non qui dominatur, erit Rex. Nequé aliud Senecæ alteriùs, si tamen alter est, sententia docet, qui in Thyeste sanè quàm Philosophicè canit.

Regem non faciunt opes.
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota Regiæ,
Non auro nitidæ trabes
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris.
Rex est, qui metuit nihil,
Rex est, quique cupit nihil.

Tantùm Sapientes illi virtuti tribuunt, ut nequaquam novum, multòqué minùs invidiosum rideri debeat, si tantorum hominum suffragio decretum Tibi Diadema deferamus, quem admirabili heroicarum virtutum splendore coruscantem suspicimus. Fecissent idem Tibi Præsul Optime Sapientes, quos in suffragium misimus, si vel in eorum tempora Tu, vel illi in Tua incidissent.

Quare si virtus Regem non ostendit solúm, sed facit, verè Diadema virtus est; O gloriosum Caput, quod talis Fascia devinxit. At unde nam operis tanti textus constiterit? Non equidem serum nemore depexis velleribus, non preciosis peregrinorum vermium visceribus, non Euganeis aut Appulis gregibus; at quod puritatis insigne est Lino Virtutis Anadema Texitur Linum, ait Simon Majolus Dier: Canicul. Colloq. 10. Physico. Quoquo te vertas, edit semper miracula, tum naturæ, præcipuè verò divina. Primum fuerit quod illud qualecunquè sit, tinea non corrodit. Ecquis verò dotem eam Fasciæ Tuæ abnegaverit Antistes optime, qui vel eminus virtutum Tuarum perfectionem aspexerit? Licet enim virtute nemo uti malè possit, non defuêre tamen, quibus postquam insigni probitatis commendatione veluti purpurâ effulserunt, vanitatis utique blattas ille ipse vestitus, suo alienoqué damno progenuit. Cætera enim vitia contrarijs virtutibus opprimi, solam superbiam etiam in rectè factis cavendam Magnus præcipit Gregorius. At virtutum tuarum Diadema, quàm expers tinearum sit, ille tantummodo non novit, qui te non novit. Certè tot Infulæ in modestiori, & ut Christianè potius quàm latinè loquamur, humiliori vertice nunquam constiterunt. Neque tineas modò, sed ignes etiam felix Diadematis Tui linum ridet, Magne Pontifex. Inventum olim linum scribit Plinius Naturalis Historiæ lib. 19. Cap. I. quod ignibus non absumeretur. Vivum id, inquit, vocant, ardentesqué in focis conviviorum ex eo vidimus mappas sordibus exustis splendescentes igni magis quàm possent aquis. Regum inde funebres tunicæ corporis favillam à reliquo separant cinere. Vocatur antem à Græcis Albestinum ex argumento naturæ. Non defuisse id lini miraculum Cretæ testis est Strabo Geographicorum lib. 10. Non defuisse Cypro Podocattarus eques Cyprius apud Majolum loco citato confirmat. Sive autem id linum fuerit, sive lapis Amiantus, qui in fila duci consueverat, ut præter antiquos Cælius Rhodig. l. 18. c. I. Lælius Bisciola Tom. I. subsec. Lib. 17. c. 16. & plerique alij auctores tradunt: illud certum est constantiam Tuam Antistes Amplis. nullis unquam flammis, quas vel fortuna iniquior, vel invidia turbulentior suscitâsset deflagrare violeriq; potuisse. Quod si quis sanctissimæ Historiæ adyta inspexerit, viderit sanè Pontificem, cæterosqué sacrorũ administros, nunquam sine

lino

lino sacris operatos; viderit æthereos Principes cum mortalibus acturos mundo candidoq; lino effulsisse, quin etiam primum infantis Dei vestitum, panniculosq; quibus salus æterna involuta fuit, è lino constitisse, non absurdè quis crediderit, atq; hoc Virgine nati Salomonis Diademate coronârat eum Mater sua, Sacrosancti Cantici interpretes docti piiq; fuisse autumant, præsertim Ludovicus de Ponte super Cantica lib. 6. Exhortatione 35. Parag. 4. & Ghislerus dum eundem locum interpretatur.

Lineum præterea fuit sudarium, quo idem Salutis Auctor in necem tractus sanguine lacrymisqué manantem vultum, pio Berenices officio extergi, & immortali repræsentari voluit prodigio. Linea syndon, quâ divinissimum corpus cæde illa extinctum sepulcro mandandum fuerat involutum, & ut infinita propemodum mittantur, lineum vas Apostolorum principi cœlitus oblatum, universitatē gentium ad spem vitæ æternæ vocari designabat. Quæ quidem omnia insignium virtutum tuarum non leviter adumbratæ, sed palam expressæ videntur esse imagines. Nam & Pontificem Te, & quasi salutis Angelum cœlo demissum Posnania consalutat. Nec profecto sanus quisquam ridebit, si Diadema Tuum nascentis Domini fascijs conferamus. Enimverò multos, in quibus aut vix dum conceptus, aut ferè infans Christus est, paterno studio complexuqué foveas, donec & formetur in eis Christus & firmetur. Felicem verò & Fasciam Tuam, in quâ virtutes Pontifice dignæ, hoc est patientis Domini vultus elucet; quanquā ut eam quoqué tumulati JESU vestem appellemus, austera vitæ Tuæ ratio, jejuniorumqué ultrò quæsita asperitas, ac inprimis juge quoddam comprimendorum affectuum studium cogere videtur. Denique lætamur Fasciæ Tuæ linteo Posnaniam contineri, speramusqué fore, ut quotquot sive vitiorum, sive hæresum, hic vivunt reptilia, Spiritu Apostolico à Te vel eliminentur, vel in salutarem Ecclesiæ sinum corpusqué convertantur.

At enim candor virtutum Tuarum oculos animosqué nostros jamdudum trahit; utraque illuc convertimus. Sol veteris Academiæ Plato in Timæo tantum albo colori tribuit, ut candidi corporis homines confirmet esse Deo devotos, quemadmodum rubicundos animosiores, fuscos viriles. Alibi quoque candidos corpore, quasi Dei filios salutari scribit solitos. Constet ne rebus hæc Phisiognomia Philosophi non judicamus: at Diadematis Tui candorem, insigne religionis symbolon esse ambigere non possumus, dum ardens in Te rerum divinarum studium contemplamur. Licet autem Diogenes rubicundum, alii verò, in quibus vir doctus Steph. Pyghius in Hercule Prodicio viridem virtuti colorem assignent: certissimum tamen est magnas virtu-

tes, adeòqué universam piæ mentis puritatem candore denotari. Fides certè, quæ dictorum conventorumque constantiâ ac veritate continetur, cana seu alba à Magno Marone lib. I. Æneidos pingitur, eò quòd sancta sit & casta, ut Hadr. Junius libello de comâ Cap. 10. explicat, eamqué ob causam veritas quoque Varoni cana dicitur, & Vestales Romanæ canis ornabantur indicio sanctitatis. Eandem fidei vestem tribuit Romanus Lyricen lib. Car. 7. Ode 35. dum canit. Te spes & albo rara fides colit velata panno. Veritas itidem, quam fidei parentem vocat Alciatus Embl. 9. à Philostrato in Amphiarao niveâ stolâ induta describitur.

Nec ægrè tulerit Prudentia, si candida Tuæqué concolor Fasciæ producatur, quando & à Spiritu Sapientiæ albâ canitie perhibetur Sap. 4. dum hominis Prudentiâ magis, quàm ætate pollentis CANI SENSUS proponúntur, quâ quidem canitie nequaquam spoliari Prudentiam posse, Magnus Magni Alexandri Doctor pronunciat, dum Ethic. 6. Adolescentiam prudentem fieri posse negat, eò quòd usu & experientiâ, quam tempus & diuturnitas parit, careat. Albo igitur capillo sit Aristoteli Prudentia, nobis etiam reliquo cultu. Vix quippe differat à calliditate, nisi eam candor discreverit, quem calliditas simulare potest, habere non potest. Jam verò Justitia fundamentum perpetuæ commendationis & famæ, sine quâ nihil potest esse laudabile, ut Pater Eloquentiæ 3. Offic. lib. edicit, nonne illa quoqué FASCIÆ TVÆ candorem æmulatur? si enim Fidei soror est, ut Horat. primo car. lib. Ode 24. vel mater, ut Lipsius secundo civilis Doctrinæ lib. c. 14. Quis dubitet eodem eam conspici velle colore, quo fides, atqué adeò FASCIA TVA splendescit.

Ad extremum cum & Italicæ Philosophiæ sententia candida omnia bona honesta faustaqué fuerint, & Romani Populum recturi candidâ se veste, quasi compendioso virtutum omnium schemate civibus commendârint, verbo universa complectemur, & virtutes omnes ut devinciri FASCIÂ TVÂ, ita candore FASCIÆ convestiri, nullâ cujusquam injuriâ, Tvâ verò justissimâ laude asseveramus.

Tingant sanè & pingant virtutes suas alij, quibus velint coloribus; nobis virtutes TVÆ omnes candidæ, omnes sunt ferè divinæ, quibus sic effulget Diadema TVVM, ut quàm nobile & auctoribus suis, tam sanctum sit virtutibus TVIS.

Sed enim agatur in orbem FASCIA deligetur & quidem nodo Vlisseo. Affirmat enim naturalis Historiæ scriptor Romanus lib. 33. 1. capite. Iliacis temporibus, annulis nihil obsignari solitum, sed quæ nunc sigilli indigent, ea tum colligata fuisse, nodi non annuli nota. Accinit Historico doctus Magni Poetæ interpres Eustachius dum Odyss.

8. expla-

8. explanatione docet morem fuisse veterem obsignandi seu observandi quæ occulta quis vellet vinculis seu nodis, nam recentius Laconum inventum est clavis. Quin ipse Odysseæ auctor proponit Ulyssem arcam obsignantem atque obligantem tradito à Solis filia nodo. Securus hic erat nodus ait Lælius Bisciola Tom. 1. Horar. Subseci; adeò ut proverbii vice ad res bene obsignatas eleganter accommodari possit. Securus & FASCIÆ TVÆ nodus, hoc est, TVA constantia est, quâ & virtutes TIBI & TE virtutibus sic illigâsti, ut jam non violentum cujusquam Alexandri ferrum, sed ne fatorum quidem vis eum nexum videatur esse solutura. Recteque solidam virtutem, invictamque animi constantiam non amplius Ulysseum; at Novoduorscianum nodum appellare deinceps posteritas possit.

Frustra hic increpet Neronianus Doctor, frustra inculcet suum illud Solve Fasciam: in TVA enim FASCIA mali quidem nihil, boni verò plurimùm latet, in quo tot tantæque virtutes continentur. Quas si ille idem Morum censor spectâsset, scripsisset sine controversiâ STRINGE FASCIAM, MULTUM ENIM IN EA INEST BONI: ut felicior Fascia in TVO sit, quam in Antigoni capite, quem, aniculæ fortunam Regiam deprædicanti respondisse scribit Valerius. Si nosses Mater, quantùm mali pannus hic complectatur, nè de sterquilinio quidem tolleres. Rectè forsitan de suo ille Diademate responderat: nos de TVO Posnaniæ vitæ TUÆ laudes ac ornamenta suspicienti, rectius omninò diceremus: Si nosses quantùm boni Fascia hæc teneat, pridem sine dubio, vel ab ultimis finibus tam Nobile tuo capiti decus accersivisses.


Ad extremum has velut lacinias Fasciæ TVÆ adnectimus, quod nullius unquam flagitii subjectum hastæ tuum Diadema est, nullius commodavit, aut servivit improbitati; & siquis id tentet, faciat potius quàm afferat detrimentum. Illustre hujusce rei Paradigma dat Plutarchi Lucullus, ubi Monime Ponti Regina, dum captiva fieri metuit, mortem accelerat. Fit regalis fascia laqueus, & quod felicitatis amplissimum erat indicium elidendo gutturi infelix vinculum paratur; quod corporis regii reverentia potius quàm pondere rumpitur. At reddita sibi Regina Fasciam despuit, ac, ô execratum, inquit, vinculum, nè nunc quidem usui esse potes. Perperam egit hoc, perperam dixit ingrata Monime, digna fortasse firmiori vinculo, at non fasciâ, quæ nè volenti quidem Principi nocere poterat. Non caret eadem laude NOWODWORSCIANA FASCIA, quæ tum demum solvi posse ac rumpi videtur, si patriæ Principisque salus proprio etiam paranda sit detrimento.

Si in

Si in virtute ſatis eſt præſidii ad benè vivendum ſatìs etiam eſt ad beatè. Satis enim certè eſt in virtute, ut fortiter vivamus, ſi fortiter etiam ut magno animo. Et quidem ut nullâ re unquam terreamur, ſemperqué ſimus invicti, ſequitur ut nihil pœniteat, nihil deſit, nihil obſtet ergò omnia profluenter, abſolutè, proſperè, igitur beatè: ſatis autem ad fortiter vivendum virtus poteſt, ſatis ergò etiam ad beatè. *Cicero Tuſcul. Quæſt. lib. ult.*

Virtutem ut ſummum Reipub. theſaurum Regibus, Optimatibus, populoqué commendo. Virtus Regna Vrbes, Provincias temperat, fert leges colit amicitias, inter propinquos liberosqué diſpenſat officia. *Adamus Kontzen lib. 1. Polit. cap. 5. Parag. 1.*




NOVODVORSCIANÆ VIRTVTI SACRVM.
ILLVSTRISSIMVS ADAM DE NOVO DVOR EPISCOPVS POSNANIENSIS.
A capite æternum capiunt hæc serta virorem
A capite emanat quicquid odoris habent.

GRATVLATORIA FASCIAE VIRTVTIS ECTHESIS.

SI relictus tantummodo à Majoribus splendor satis ad rerum commendationem afferret præsidii Pontifex Optime, vix operæ pretium erat à clarissimæ Gentis TVÆ laudibus mentem aliò stylumqué transtulisse. Sive enim Gloriosa NOVODVORSCIANÆ FAMILIÆ antiquitas, sive ortus celeberrimi claritas, sive demum amplissima rerum gestarum gloria spectetur, omnia prorsus in FASCIÂ TVÂ sic elucent, ut quamlibet sublimem ingenij linguæqué facultatem infra se videantur esse relictura. Sed enim vi quadam incredibili nostrum omnium animos ad se rapit animus TVVS, æquumqué videtur esse, venerabundos laudum TUARUM penetrale subire, quos adhuc in vestibulo TUA tenuerit amplitudo. Patere nos Præsul Amplíss. eas animi TVI opes, quæ tantò ampliorem tibi pariunt commendationem, quantò magis TUÆ sunt, propius intueri, & augusto virtutum TUARUM frui splendore, quos tam magnifica Natalium TUORUM luce oblectâsti. Atque hîc quidem nihil de nostro, nihil de alieno afferre libet. FASCIAM TUAM legimus, quæ præclarissima animi Tui ornamenta, eò præfert luculentiùs, quo continet fideliùs. Neque enim Diadema hoc unius tantúm alteriusvè, sed omnium prorsus præstantissimarum virtutum, vel compendium absolutissimum est, vel vinculum firmissimum. Hîc cœleste quoddam Religionis Pietatisqué lumen effulget, hîc Ardens divini honoris studium efferuescit, hîc vitæ humanæ administra Prudentia, hîc splendor Æquitatis, hîc Moderationis pulchritudo, hîc Invictæ mentis majestas elucet. Hîc munificam Liberalitas manum explicat, hîc timoris juxta atque gratiæ victrix Veritas emicat, hîc perennis Amor in patriam, hîc pia in principem & constans voluntas, hîc reliqua virtutum decora sic enitescunt, ut nihil vel virtutis ab homine, vel splendoris à virtute proficisci queat, quòd non FASCIÆ TUÆ infinito quodam ambitu videatur esse contentum.

Non veremur Antistes Optime, ne quid fortè Tuis auribus dare velle videamur. Neque enim ita de nobis meritæ Musæ sunt, ut earum favore, ad eblandiendam cujusquam gratiam abuti velimus, neque ea virtutum tuarum conditio, quæ alienæ linguæ verborumqué illustrari postulet choragio. Nempe quicquid tandem commendationis humana in te congesserit facundia, omninò infra te resistat necesse est. Atque hujusce quidem rei vel Judices vel testes Musas esse nolumus, satis est si spectent, satis si mirentur, satis si docendo consequi se virtutes tuas non posse fateantur. Testes & laudum TUARUM, &

dictorum nostrorum tot habes, quotquot Regni Poloniæ oculi sunt, quos admirabilis vitæ TUÆ gestorumqué fulgor, vel recreat, vel perstringit. Nam ne TUAM quidem virtutem adeò celebrem putaremus, si alienæ invidiæ permolesto quidem, at utili comitatu foret destituta. Verùm de his nunc agere nec libet, nec expedit: illud certum est, æquos perinde ac iniquos virtutum TUARUM excelsitatem ita testari, ut alteri quidem prædicent celebrando, alteri fateantur in videndo, utrique admirentur spectando. Cæterum ad rem quam agimus, sufficit testis unus, unus ille Poloniæ Oculus, qui pro omnibus videt, pro omnibus vigilat, vel potius unus ille Reipublicæ Animus, qui omnibus providet, sapientissimus Rex noster, qui cum te in vitæ etiam privatæ curriculo ad summam gloriam, mirâ & morum sanctitate, & rectè gestorum contentione procurrentem spectaret, non est passus diu, vel Te meritorum TUORUM fructu, vel curiam luce Tuâ carere, Curulem tibi sellam justissimâ benignitate obtulit, ac inter Illustriss. Poloniæ Proceres Podoliensi Infulâ redimitum singulari Reipublicæ bono collocavit. Eluxit igitur in Podolico illo sole cum virtutum cæterarum, tum verò religionis pietatisqué TUÆ lumen eximium, atque ita eluxit, ut radios inde usque in sacra Premetensis Cænobii adyta insigni Patrum illorum commodo ejacularetur, quem TU quidem locum, & paternæ planè administrationis disciplinâ instauràsti, & egregiæ sanctitatis exemplis felicissimè illustràsti.

Suspexit verò, sibiqué cum primis gratulata Premislia est TE Episcopum dicam, an potius Parentem? quæ quam felicem se viderat, cum TE haberet, tam hodie TUO mœret discessu, quanquam profectò queri jure non potest. Virtutes enim meritaqué TUA in eam amplitudinem auctu felici jam excreverant, ut solium illud capere TE neutiquam posset. Quare Posnania TE supplex accipit, vel potius læta se TIBI tradit, atque ad paternos pedes tuos provoluta, pietatis TUÆ ut ante admirata est, ita nunc veneratur Majestatem, seque fortunatam judicat, quòd, cum eo Præsule orbetur, cujus insigni religione iram offensi Numinis flecti suppliciaqué cœlitus aut immissa, aut intentata mitigari non injuriâ credebat, TE interea Antistes Illustriss. quasi divinitus missum patronum, pastorem, parentem, habere se animadvertat. Sperat enim cœlestes iras, quas Magni Lubiennii moderata pietas est, Magni Novoduorscii sanctimoniâ tandem amoliendas.

Absit verò ut temerè in eam spem videamur esse devoluti, cum ambigi minimé possit, non salutaribus solùm tuis consiliis, sed votis etiam sacrificijsqué, postremam illam de Moschis victoriam, cujus ubere fructu fruitur adhuc Polonia constitisse. Chocimensis verò laureæ non minimam profectò partem TUÆ pietati deberi, quàm meritò, tám confi-

confidenter confirmamus, cujus & præsentia, & faustis apprecationibus prima illa castra Illustrissimi Domini Stanislai Lubomirski Palatini Russiæ felicibus auspicijs Osmanico furori opponenda fuere consecrata. Dici equidem non potest qvæ fuerit tum exercitus illius alacritas, quæ centuriorum militumqué pietas, quâ Aquilas signaqué & consecranda Tuis pedibus subijciebant, & referebant consecrata, quæ Tu quidem non aquis solùm lustralibus, verùm etiam lacrymis asperseras, lacrymis videlicet precibusqué sanguinem TVORVM redempturus. Equidem eam tum in omnium animis pietatem accenderas Antistes Optime, ut non multi sané essent, qui non aut fletu, aut pio saltem animi sensu illam signorum dedicationem spectarent. Vexilla profectò ipsa lustrantis religione freta, hostem deposcere, ipsi Cadeievienses campi gestire quodammodo Tvâ præsentiâ, victoriamqué præsagire videbantur, idque eventu, ut videmus, sanè quàm secundo, cum exploratum sit, tam frequentibus prælijs signa manibus TVIS initiata nunquam nisi victricia redijsse.

Hæc nos paucula de Tvâ in numen æternum religione, animo bono, fide optimâ retulimus, nam plura dici mira moderatissimi animi Tui verecundia vetat: alioqui finem vix inveniret Oratio nostra, quia dicendi modum excedit pietas TuA, quæ ita TE cœlo adstrinxit, ut minimum id arbitrêre, si summo illi Bono solus inhæres cas, nec plerosqué ad eundem fontem vel ducas volentes, vel trahas invitos, & tamen non minus qui trahuntur, quàm qui ducuntur paternum TuuM pectus, manumqué (liceat ita loqui) maternam experiuntur. Atque hoc quidem vel maximum argumentum est, quo TuuM in DEUM animum cœlo terræq; testari perseveras. Tametsi enim per multa indicia sint, quibus a mor se divinus prodere consuevit, plurima pateant spiramenta, quibus flamma illa erumpit; nihil tamen est, quod liquidius sanctitudinis splendorem patefaciat, quàm ardens, & quale in TE est divini honoris alienæqué probitatis studium. Quod cum tam abundè TIBI suppetat, vix expediat reliquas animi Tui dotes percensere. Nihil enim virtutis est, quod non in fervidâ reconditũ sit pietate, sine quâ nec æquitas justa, nec sapiens prudentia, nec firmitas constans, nec moderata temperantia, nec vita hominis videtur esse humana.

Neque est, quod livor insusurret novi aut magni nihil esse, si Præsulis laudes à pietate ducantur, quæ turpius à sacerdote deseritur, quàm colitur laudabilius. Enimverò vel eo nomine laudatissimũ TE fateamur oportet, quòd eâ re tantopere abundes, quæ ad tam sublime nomẽ cum dignitate sustinendum adeò conducat: deinde pium Te nequaquam Episcopatus fecit, sed invenit, neque cum Infulâ virtutem eam recepisti, sed Infulam coronâsti. Denique ne quid invidiæ relinquatur,

non solâ pietate, tametsi virtutum omnium sit compendium FASCIÆ TVÆ splendorem metimur. Spectat insigne cum doctrinæ consiliqué TVI lumen amplissima Regni Poloniæ Curia, fructusq; sapientiæ TUÆ patria capit uberrimos, quos tot legationibus egregiè obitis, tot negotijs publicæ salutis causâ, & susceptis animosissimè, & confectis sapientissimè attulisti. De æquitate, jurisq; ac legum constantissimo studio, nihil referimus, perspexit id toties summum Regni hujus Tribunal, quod maximâ non prudentiæ minus, quàm justitiæ laude illustrâsti, quoties judicâsti. Quid verò invicto TVO pectore solidius, quod nec inimicitiarum denunciatione, nec malevolentiæ obtrectatione, nec vi ullâ à recto potuit unquam dimoveri? Quid integritate TVA virginaliq; illâ animi puritate limpidius, cum vel eo solo nomine sacrum id oraculum de TE accipit possi, quo Angelus Domini Exercituum nuncupatur, qui sacerdotio ritè fungitur. Confirmat judicium nostrum singularis victus TVI moderatio, ac Dei virtutisqué causâ sponte frequentata inedia, ut qui mensæ TVÆ munificentiam videat, egregiè dapsilem TE, qui verò TEipsum consideret, eximium exemplar habeat abstinentiæ. De gravitate porro TUA atq; auctoritate dignâ Senatore, dignâ Sacerdote, dignâ Pontifice quid est quod dicamus? Oculis hic suis quisque credat potius, quàm dictis alienis. Ita enim comi facilitate plenam venerationis maturitatem moderaris, ut, & qui TE amant, revereantur, & quos suapte conscientia timere cogit, non TE possint non diligere. Inde profectum est, quod nescio an alteri cuiquam præter TE concessum sit, ut cum prudentissimâ Senatoriâq; Orationis libertate ubique patrocineris veritati, nulla inde tamen, apud eos præsertim, quorum respicienda potentia fuerat, odij invidiæqué TIBI afflata unquam suspicio sit. Fitqué in TE admirabili quodam modo, ut veritas pulchra illa quidem, at prole deformi (quod odium dicimus) damnata, amorem TIBI, auctoritatem, fidem, felicissimo partu progeneret. Itaque & invidiam dum contemnis, extinguis; & eò veritate Duce proveheris, quo pleriqué per veri dissimulationem aspirare possunt, pervenire nisi pauci non possunt.

Quia verò facta metnio veritatis est, timere cœpimus ne nobis non odium quidem apud TE, aliquâ tamen offensiunculæ pareret molestiâ, quibus paucula hæc de virtutibus TUIS verba veritas extorsit; non quòd veritatem TIBI unquam displicere posse credamus, at quia laudum TUARUM mentio, cum TIBI elicit ruborem, quem vix multis objecta vitia excuterent. At equidem debitum hoc virtutibus TVIS pensum minimè negari potuit, nec digni essemus de cæteris rebus TUIS verbum afferre, si id taceremus, quo Tu in TEipso verè magnus es, verè illustris. Quod si nè sic quidem excusari nostra laudatio potest, TVA nos

Fasciâ

Fasciâ tuemur, cui ea Tu virtutum ornamenta intexuisti, quæ ut dicendo exprimi non possunt, ita tacendo cælari non debent, Certè enim in hâc causâ vel Te judice tantò facilior victoria nostra est, quantò agere laudanda, quàm laudare difficiliùs. Nos enim narramus Tu fecisti, nos legimus, Tu inscripsisti nos laudamus, Tu præclarè egisti, & ut laudamus, Tu meritis TVIS effecisti. Itaque non tam veniam poscimus, quòd aliquid dixerimus, quàm quod è tantâ copiâ tam pauca delibaverimus.

Nec de munificentiâ sanè Tuâ nos loquemur, loquitur id satis, & magnis impendiis conditum, & pijs doctisqué viris abundè instructum Lomzense Societatis JESU Collegium, quod quidem ardentis in DEUM pietatis, effusæ in viros religiosos beneficentiæ, propensi in bonas artes studii æternum jussisti stare monimentum. Non erunt profectò ingratæ Musæ, quæ non prius â celebrandis Tuis laudibus destiterint, quàm evaserint elingues. Et esto, tacerent Musæ; at parietes equidem ipsi, saxa ipsa, unde amplissimæ illæ, tum honori Divino, tum rei literariæ dicatæ substructiones constiterunt, & eximiam TUAM pietatem, & piissimam liberalitatem universæ posteritati deprædicabunt. Prædicamus & nos pro nostrâ tenuitate amplissima Virtutum TUARUM gesta, quorum non elenchum numerando teximus, sed id quod FASCIA TUA adstringit debito observantię amorisqué testificatione indicamus. Verum enimvero, quemadmodum è Gygantis pollice, quem satyri cubitis metirentur, vastam reliqui corporis molem Græcus pictor conijciendam proposuerat, vel è stadio Herculeo proceritatem granditatemq; Herculis, Italicæ Philosophiæ princeps assecutus est: ita è paucis quæ retulimus; in TUÆ magnitudinis, gestorumqué cognitionem venire quisque facilè potest. Quanquam satis citra cujusquam prædicationem per se patent virtutes TUÆ nec, quod ajunt, Curionis egent. Nihil est virtute facundius, quæ etiam dum tacet, non tam auribus, quàm oculis, & multo magis animis tantò clariùs loquitur, quantò magis de se conticescit, tot Oratores efficit, quot habet spectatores.

Illud hîc minimè tacendum est sextam Ecclesiæ Posnaniensi FASCIAM, & TUAM quidem tertio divinitus esse impositam; à nullâ tamen plura majoraqué bona optabant Majores, quàm à TE & speret & expectet Posnania, haud dubiè receptura. Id enim clarissima vitæ sanctimonia, id prudentiæ singularis solertia, id virtutum omnium ardens ac indefessum studium, id demum paternus, & si quid amantiùs dici potest, in TUOS animus pollicetur. Desiperet certè qui tot testibus non crederet. Verùm reliquas TUAS virtutes officioso juxta ac pio venerati silentio, ea quæ de TE diximus, duobus maximis ornamentis volumus esse consignata, ea sunt, Fidele constansqué in principem

Stu-

studium, & Perpetua atque ardens in patriam pietas; tametsi si Princeps est, qualem immortali Dei beneficio habet Polonia, unicus idemqué in Principem & in patriam amor est, ut odisse Patriam dicendus sit, qui talem non amet Principem. Qui quidem amor ita TUUS est, nisi fortè commodius dictu sit, ita TU amoris es, ut magnificentissimum pectus TUUM ara quædam pietatis jure possit appellari, in quâ TU labores, vigilias, sudores, curas, industriam, vitam denique ipsam Patriæ Principiqué immolâsti, neque id sacrum prius intermittere velis, quàm vivere. Tota equidem vita TUA recensenda foret, si omnia ejus amoris pietatisqué specimina essent proferenda. Instar omnium sit cura illa, quâ TU Serenissimi Principis Wladislai Moschos gloriosè ac feliciter profligantis incolumitati & studuisti & deseruisti. Dederat in oras illas Rex Serenissimus quicquid carissimi habuerat. Dederat Polonia, quicquid secundum Regem optimum, cum Serenissimum & gloriosissimum Wladislaum dederat. Tutam quidem Rempublicam tum Principis virtus, tum causæ æquitas faciebat, & securam etiam reddebat, quod Principi Tu Præsul Magne adesses. Agebat Princeps gloriosus, nè patria hostem timeret, faciebas Tu ne timeret Principi, à cujus Tu latere nusquam discedebas. Eâdem itaqué operâ & Regi potentissimo & patriæ præclarissimè gratificatus es, cum preciosissimū illud Reipublicæ pignus illam sceptri Sarmatici spem, illam deniqué Poloniæ vitam fidelissimis consilijs inter cæteros amplissimos viros ejusdem negotij administros egregiè fovisti. Quâ quidem re æternum TIBI Optimum Sapientissimumqué Principem, & Regni totius animos obligâsti, ut quemadmodum FASCIA TUA virtutū omniū vinculū est, ita debeat esse & animorum, nihiloq; remissius quàm Herculis Gallici lingua corda trahat mortaliū. Traxit verò, trahitq; non linguas modò manusq; sed animos nostros ad TE, digna Pontifice virtus TUA, quæ non ideò minor est, quòd tam multos piissimos sapientissimosqué Antistites habeat Polonia.

Neque enim ideò aurora obscura est, quod alia quoque sydera fulgeant, sed eò illustrior, quòd inter tot tamqué varia cœli lumina, lucem integram obtineat: ita virtutum TUARUM claritudo, eó admirabilior est, quòd inter tot cœli Polonici sydera in eum TE locum DEUS & virtus felici sanè motu provexerunt, cui ad summam excelsitatem vix unus superesse videatur gradus. Verùm honores quidem TUOS paullò post spectabimus, nunc Honoris matrem Virtutem admiramur, quâ Tu Gentilem Fasciam sic illustrasti, ut non minùs à TE uno quàm à reliquis, quos, inquam, cinxerit, vel acceperit, vel acceptura sit splendoris. Unum illud in tantâ virtutum TUARUM gloriâ metuendum est, ne quemadmodum de Philippo puer Alexander questus est, ita TECUM Posteritas tandem expostulet, quod ei nihil ferè reliqueris, unde novi aliquid ornamenti Fasciæ inserat, cumq; potentissimum imitandi TE campum aperueris, assequendi certè omnem ferè facultatem præcidisse videâre. Cæterum satis gloriæ posteritas adeptam se existimet, si pulcherrimam, tot virtutum sanctimoniæq; hæreditatem eâ solertiâ tueatur, quâ Tu paravisti, eâ sedulitate conservet quâ Tu reliquisti.

HUMA-

HVMANÆ LÆTITIÆ

COMITEM, AC INTERPRETEM CANTVM HVMANA FECIT VEL NATVRA VEL CONSVETVDO ANTISTES AMPLISSIME; NOS ENIM GAUDII NOSTRI TESTEM OPTAMUS.

QVIA VERO VIRTVTVM CONCENtu nihil ſuavius, TVAS virtutes canimus, vel potiùs virtutes canentes producimus.

Audi & fave, eo animo, quo & Tv ſoles, & virtutes Tvæ merentur.





RELIGIO.

Propè DEVS est, tecum est, intus est. Sacer intra nos Spiritus sedet bonorum malorumq; nostrorum observator & custos. Hic prout à nobis tractatur, ita & nos tractat ipse. Bonus vir verò sine Deo nemo est. *Senec. ad Lucil.*



Nata miti RELIGIO polo
Quam nuper ortis cœlitibus Pater
Luciqué victuræ auspicatam
Et comitem dedit & gemellam.
Tu prima Sanctum Numinis alites
Subire vultum cœligenas doces,
Nulliq; conspectum creatis
Luminibus reseras Tonantem
Per te quiêrunt sydera civico
Succussa motu, per te Aquilonius.
Grex pulsus astris, flammeasqué
Impietas tremuit rudentes.
Tibi beatæ limina regiæ
Ultrò patescunt, tu sine nunciis
Prendis penetral, nil morata
Ætherei propylæa Regis.
Tu deînde terris missa jacentibus
Lectas caducâ gente colonias
Transcribis astris, & lubenti
Corda DEO moritura nectis.
Nectis, sed ecquis lætitior in tua
It vincla, cujus brachia suavius
Divinitati destinata
Ambrosiis cohibes catenis
Quam Fasciati pectora Præsulis?
Quem Posna tandem læta patrem capit,
Magnæqué virtuti dicatum
Ægra caput diadema poscit,
Tibi ille notas Syderibus manus
Tibi ille rori lumina gemmeo
Assueta, cœlestisqué linguæ
Nectareiqué dicavit oris
Promptus labores mancipio tuus,
Tuusqué nexu Præsul; at enthea

Non tam pii mentis recessus,
Quam pietas meruêre dici.
Sensit Boræo frigore torridus
Flammata Patris corda Borysthenes,
Pronusqué cervicem subactam
Lechiacæ dedit æquitati.
Sensit POLONVS prodiga sanguinis
Cœleste pectus Daciæ Præsulis,
Dum luctuosos dira Thracæ
Sarmatiæ properaret ignes.
At voto ADAMVS supplice barbaros
Præcepit ausus, votaque Bistonum
Largosqué flammæ jam imminenti
Ex oculis properavit imbres.
Libet fateri. Vidimus uvido
Manare vultus imbre, Pater, tuos,
Cum signa lustrares Polona,
Osmaniæ metuenda Lunæ.
Sic tum cruentis pota furoribus
Cessit Polonæ trux Hecate aliti:
Ast illius pars magna palmæ
Pontificis pietate crevit.
O nata miti, Relligio, polo
Quàm læta cresces Posniaco solo,
Cum per NOVODVORSCI labores,
Alma polus tibi Posna fiet?

PRVDENTIA.

Si prudentia una adsit, jam continuò cum ea reliquæ virtutes aderunt. *Arist. lib. 2. Mag. Moral.*

ITe, qui raptum Themidos Salubri
Dexterâ clavum datis in proteruæ
Jura fortunæ, Dominâ moventes
Sorte phasellum
Ite, non vestris canit apta vates
Auribus, nil hinc Dea vestra carpet
Dux Themis vitæ, malefida sortis
Regna facessant.
Dux Themis vitæ, sapientioris
Consilî Mater, soror æquitatis,
Hæc Novoduorsci sapientis altam
Temperat Argo.
Quæ nec objectas tremuit Charybdes
Quas furor lamnæ rotat aggerandæ,
Nec superlatæ fremebunda Scyllæ
Palluit ora.

Hâc

Hâc gubernâclum moderante Præsul,
Non quidem Colcho rutilantis auro
Vellus avectum pecudis Poloñis
Intulit oris.
Non Erythræam peregrinus acten
Visit, aut pietos penetravit Indos,
Non Hydaspæa patrios opimat
Merca Penates.
Hæc ferant, quas fors moderat carinæ
Merx NovoduorscI rate digna, dives
Consilî pectus, sapientiæquê
Copia vivax.
Hæc pius Præsul vehit, his ADAMVS
Lechicum Gazis opulentat orbem,
His ebur triplex meruit, sacræque
Jura tiaræ.
Quotquot optatos tenuere jussa
Curiæ fines, ea vel sagaci
Calculo juvit sapiens, vel ultrò
Condidit Auctor.
Nec deest tantis opibus fidelis
Promus, & nullo reprimendus auro
Sermo cœlesti vigilacis altus
Vbere Suadæ.
Sive Patronam morientis æqui
Fas petat lucem; vibrat expeditum
Lumen, & verum generosa pandit
Lingua redusum.
Seu manum leges medicam reposcant
Sauciæ, præsto est medicina Patris,
At cataphractæ trepidant Tonantis
Fulmina noxæ.
Jactet hybernas Ithaci procellas
Rex Poëtarum Pyliæquê linguæ
Mella delibet, stupeatque natum
Thestore pectus.
Nos NovoduorscI sapientis ora,
Nos NovoduorscI genius diserti
Detinet, præ quo nihil alma Graiis
Invidet Arctos.
Nestor & Calchas, & Vlyssis ardens
Vis, NovoduorscI coiêre corde:
En quot heroas, quot opes Adami
Devehit Argo!
Tot suæ gazas vehit ille Posnæ,
Addit & vectis diadema gazis,
Si fides vati superest, ut urbs hæc
Sceptra capessat.

JVSTITIA.

Fundamentum eſt perpetuæ commendationis & famæ juſtitia, ſine quâ nihil poteſt eſſe laudabile. *M. Cic: l. off.*

HUmani rectrix generis Dea, Præſtes æquitatis
Posnania mœnibus propinquat.
Vrbem Posniadæ recludite; cœlitum propago
Aſtræa veſtros expetit Penates.
Turritas ornet frons civica mœnium coronas.
Aſtræa præſto eſt; ſoſpes urbs triumphet.
Palladiis vernent ramis fora litibus repulſis.
Aſtræa dextras civium maritat.
Læta triumphali ſtet curia laureata fronde,
Aſtræa veſtras Dux reget curules.
Hæc veſtri currus Antiſtitis anteit ſereno
Peræqua cœlo tot coruſca flammis;
Quot rotat innubis nox ſydera, cum ſolo ſilenti;
Sparſim quietos dividit ſopores.
Tot comitata bonis SACRI DEA PRINCIPIS, quadri-(gas
Ductat beatam redditura Poſnam.
Non ea Lemniaco præfulgida fulgurat mucrone,
Datura nimbos ſpontici cruoris.
Non ea lethiferum carmen tonat ore fulminante,
I lictor, acres expedi ſecures.
Verum ſydereum miti caput impedita olivâ,
Promittit almam, præparatqué pacem.
Sceptra Atlantei fert virgine dexterâ nepotis
Falli ſiniſtrâ neſciam bilancem,
Hac quicqnid vecors injuria dempſit æquitati,
Æquare pulſis præpoteſt querelis.
At ſceptris quicquid diſcordia cruda diſparavit,
Citra protervos ſarciet tumultus.
Diffugient trepido fraudes pede, fraudibusqué fæti
Sinonis auſus, aureæqué peſtes.
Non ſtabit venale nefas, néque publicum tribunal
Vveſcet imbri lacrymæ innocentis.
Saneſcent læſi juris mala, ſauciasqué leges
Novoduorſc I Faſcia alligabit
Faſcia Poſniaci lacrymas gregis æquitate terget
Fovebit ipſam Faſcia æquitatem.
Hæc vatem ſperare jubet bona, non ſiniſter oſcen,
Non auſpicatæ præpetis volatus
Totum hîc augurium virtus habet inclyta, atq; votum
Intaminatæ pectus æquitati,
Pectus ſydereis prænobile dotibus, ſereni
Imago olympi, ſanctitatis ara.

Illis

Illis syderibus præsagia nostra devocantur
Illa illa nostrum firmat omen ara.
Tam justum, tam propositi capis optimi tenacem,
O Posna fato nobilis, parentem.
Illum justitiæ quondam reus obstupescat, illum
Miretur ardor Thurij cruoris.
Sed neque Roma nimis placeat sibi tetrico Catone,
Nec jactet æquum fasque Regulorum:
Horum nemo æquus veniâ sine nemo, quin Cato ipse
Censore justus non erit Catone.
Iustitiam spectat qui Præsulis, absque nube solem,
Formamque iniquo spectat absque nævo.
Hoc summus Lechiæ censor videt, hoc Patres fatentur,
Hoc Posna justo prædicabis ore.

FORTITVDO.

Fortitudo est munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile, quod qui circumdedit sibi securus in hac vitæ obsidione perdurat, *Seneca, Epist.* 114.

Non qui nitrato vertit urbes fulmine
Aërias humili
Arces recondens rudere,
Non qui cruore stagnat agros hostico,
Bistoniusque ferox
Ex ossibus montes struit,
Non quem catenis prægraves Reges vehunt,
Dum repetit patriam
Censum potitus urbium.
Non ille fortis, si subacti pectoris
Ferrea jura tenet
Effrenis impotentia.
Quid namque subjugare prosit barbaros
Si miserè vitiis
Mens victa sub jugo gemat?
Quid æstuoso DanubI patria juvat
Cludere Regna sinu
Dum cor premunt angustiæ?
Fortem vocabo, qui triumphato potest
Indere prolubio,
Plaudente cœlo, compedes.
Fortem vocabo, cui potens nunquam nefas
Aut animum rapuit,
Aut intulit linguarium.
Quot magna tales sarmatis capiat viros,
Haud numerare libet;
Sed ritè vates dixerit

*E PLVRIMIS EST VNVS, ET PRO PLVRIMIS
PRÆSVL ADAM, CVI NVNC
POSNEA CESSIT INFVLA.*

*Non ille victas induit fateor feras,
Nec patulum Hesperiis
Mundum columnis terminat:
Non ille fines urget armis Indicos,
Omniáque imperio
Parere cogit unius.
Quanquam nec armis laureâ partâ vacat,
Quam capit ê patriis
Præclarus hæres prœliis.
Profectus ultra est, proqué Mavortis feri
Pulvere sanguineo,
Novæ theatrum gloriæ
Felix in alto dedicavit pectore,
Ducit ubi celebres
Virtus triumphos mascula.
Ducit triumphos, non quidem Plebeij
Quos stupeant oculi;
At quos senatus cœlitum
Miretur. Huc spectator assurgit DEVS,
Dum spolium ipse sibi est,
Victore victus fortior.
Hæc fortitudo est, hæc polo spectacula
Apparat, atque solo
Præsul NOVODVORSCIVS
Hic si laboret æquitas, si jus labet,
Nulla pericla pavet,
Nulla relanguet gratia.
Pecuniosæ si furunt injuriæ.
Per medios cuneos
Seu ferreos, seu Chryseos
Linguæ arma victor explicat. si veritas
Nutet, opemqué petat,
Hoc fulciente non cadit.
Incumbe tutò Posna tanto Præsuli,
Hæc, mihi crede, basis
Nullo fatiscet pondere.*

TEMPERANTIA.

Nihil est tam præclarum tamqué magnificum, quod non moderatione temperari desideret. *Val. Max.*

*QUalis syderei Patris
Fœcundâ steterat consita dexterâ,
Vitali Elysias parturiens fronde opulentias
Arbos, quâ novus incola*

Eoi

Eoi nemoris jura minacia
Clothus, & senii sollicitum defugeret gelu;
Nil ille hortus amœnius,
Nil virgo tulerat terra suavius,
Nil optâsset Adam, nil soboles tota salubrius
Tali, quamlibet exulis
Exul possit Adæ posteritas frui
Pomo; si placidæ jura velit Sophrosynes pati.
Hæc miti moderamine
Si vitam facilem flectit, & inquies
Pectus composita ferre docet fræna cupidine:
Pax prædulcis, & aurea
Tranquillâ exoritur mente serenitas,
Cui uix innocui distet Adæ uita beatior.
Quod si guttur Apitium,
Insanæquè gulæ fœda negotia
Morborum segetem progenerant corpore turgido,
Et fati accelerant vias
Defendit querulam corporibus luem,
Et uitæ ante diem lenta uetat figere terminum
Vitæ frux moderatio.
Hanc si primigenus nosset Adam arborem
Vana essent hodie luctificæ regna Proserpinæ.
At quod tum Paradisio
(Securo ah nimium) defuerat Patri
Hæc ô Posna tuo fertiliter suppeditant ADÆ,
Cujus pectus amabile
Egressum patriam fulminum, & imbrium,
Cœlestis dominâ mente refert pacis imaginem.
Quod si Præsulis optimi
Demensum videas parcaqué corporis
Neglecti studia, & dapsilibus quanta triclinii
Intercedat Apastia
Illum aut Sophrosynes progeniem voces,
Aut possis potius Sophrosynes dicere nomine,
Cujus mensa colit quidem
Leges patriciæ munificentiæ;
Ipsum at Pontificem lege putes vivere Fanniâ.
Hinc vultu roseus pudor
Hinc candent animo virgineæ nives,
Hinc illæsa nitent Angelico pectore lilia;
Tantas inter opes tamen
Grandis nulla tumet struma supercilî:
Sed comis pietas divitias prætegit abditas.
Immensis Bone Pontifex
Virtutum tua mens fructibus uberat,
Mens nil Elysiis inuideat quæ uiridariis
Dotes: at reliquas super
Vitæ arbor veluti stat Moderatio,
Quæ quamuis tetrico non senium sanguine detrahat,

Nec lethum penitus fuget:
Et lenire tamen certa molestias,
Et vitæ uitreæ substituet secla adamantina.
Hos fructus capies, Pater
Postquam stellifero redditusætheri
Inter Pontifices despicies sydera cælites
At nunc carpe tua arbore
Annos incolumes, canitiem levem
Et vitæ saturum promeritis tempus honoribus.

VIRTVTVM CORONIS.

Qui vigiles oculos numeret, queîs sole remoto
Cærula sopitum despicit æthra solum.
Qui putet, Eoæ quot ditent æquora baccæ,
Quot rubra purpureas acta ministret opes.
Qui sciat Elysii quot surgunt germina veris,
Lilia mellitus quot Paradisus alat.
Ille tuas Præsul virtutes deputet, ille
Audeat augustæ dicere mentis opes.
Sydera Præsul habes nullius conscia noctis,
Sydera quæ lucem non aliunde petunt.
Tot mens æthereis opulescit fulgida gemmis,
Quot niger in fuscis non legit Indus aquis.
Elysios sacris imitaris moribus hortos,
Semper, Adame, tuum hunc tu Paradison habes.
Omnia dinumerent, qui dicere singula possunt
Hunc infra censum nostra Camœna stetit.
Sat fuerit nobis gestorum prodere fontes,
Vnde fluit vitæ laus, meritumquè tuæ.
Si cecinisse minus culpa est, ignoscere debes,
Nam culpæ nostræ hic, non nisi dimidium est.
Scilicet elingues fecit tua adorea Musas,
Par meritisquè tuis nulla Aganippis erit.
Verum, quicquid id est, tantas Pater inclyte, laudes
Nos mirari, alios denumerare iuuet.



FAS-



FAS-CIA NOVVO-DVVORSCIA-NI HONO-RIS.







NOVODVORSCIANO HONORI SACRVM.

SANCTVM DOMINO

EPISCOPVS POSNANIENSIS ADAM A NOVODVOR COMES

Vnum tot sacræ caput ambiuêre tiaræ
Nempe sacer nusquam pulchrius hæsit honor.



Virtus uberrimum alimentum est honos. *Val. Max. lib. 2. tit. de Institut. antiq.*

Eximiam virtutem spontè suum sequitur decus. Nec ulla speciosior statua, quàm honorifica benè actæ vitæ memoria. *Plutarch. in Apophteg.*

Virtus extollit hominem, & supra astra collocat, nec ea, quæ bona, aut mala vocantur, aut cupit nimis aut expavescit. *Senec. Epist. 88.*



HONO-

HONORIS NOVODVOR-SCIANI DIADEMA EX ERVDITORVM MONVMENTIS DEPROMPTVM.

QUo consilio virtutem pro vestibulo honoris excubare voluerunt sapientes Romani Illustriss. Antistes, cum & autore Q. Fabio, & instauratore M. Marcello utriusque Numinis ædes, ita junxerant, ut Honoris templum nemo ingredi nisi per ædem Virtutis posset: eodem & nos à virtutum TUARUM Diademate ad HONORIS FASCIAM oculos animosquè traducimus. Nihil enim justiùs fieri potuisse censemus, quàm honores amplissimos TUIS copulari virtutibus, quando eò evasisti, ut quò pergeres non esset, nisi aut ad cœlum, aut ad honores. Sed enim in cœlum nemo serò venit, ubi æternum acturus est, patriæ verò sanè quàm opus es, in qua habitare dignius non potes, quàm in Honoris templo, neque coronari decentius, quàm Diademate Honoris. Atque ut ei mittamus, quæ ad contexendam nobilitatis Fasciam allata sunt, potentissimæ gentes tantùm Fasciæ seculis omnibus tribuerunt, ut tametsi honorati capitis alia atque alia ornamenta esse paterentur, ea tamen nunquam satis digna regibus judicarent, nisi Fasciâ devincirentur. Sic Macedonum Causias, ut essent Regiæ, Fascia prætexi opus erat, (ut palam est ex Polluce.) sic regias Persarum Cydares, cærulea Fascia albo distincta, interdum candidis illustrata stellis circuibat, ut autor est lib. 3. Curtius. Nec alium Cyro Majori cultum tribuit Xenophon lib. 8. Pædiæ Cyri, quem ait Diadema unà cum Tiarâ habuisse. Tiara enim & Cydaris idem est juxta Brisson. lib. Reg. Persi. 2. At equidem nunquā tantum barbaricæ illæ tæniæ Tiaris, Cydaribus Causiis & Cyrbesiis ornamenti addiderant, quantum Regni Poloniæ Coronæ FASCIA NOWODWORSCIANA visa semper est attulisse. Amplitudo Senatus Poloni Corona Patriæ est, quæ nunquam ferè Fascia Novoduorsciana caruit, ut nequaquam mirum sit, si augustissimum Poloniæ caput Serenissimus Rex SIGISMUNDUS, nova hac honoris TIBI delati accessione, tam vicinum sibi ac pœne continuum TUUM voluerit esse Diadema.

Neque solùm in capite Regio sed ubivis locorum Majestatem honoresqué suos Fascia retinebat. Eumenes enim, si Æmilio Probo creditur, consilia publica haud aliter agere solebat, quàm Alexandri Fascia in solio deposita, ut quia Alexandrum fata interceperant, Alexandri Fascia vicariam afferret consilio majestatem. Factum idem jam ante Roma adhuc infans viderat, cum Romulus quoties jus diceret, solium sibi adstitui jubebat, in quo Remi fratris Diadema positum locum Re-

cum Remi obtineret, ut non inscitè summus Poëta scripserit, Remum (etiam morte sublatum) cum fratre Quirino jura dare. Meminit facti Ludovicus de la Cerda Magni Poëtæ magnus Scholiastes. O quæ in vota nos ducunt res relatæ Antistes Illustrissime, æquè quidem illa & TUIS debita virtutibus; verum ea uni TIBI quem nihil celatum volumus innuimus, optamus, quod & Tu TE optas, Poloniæ solium nunquam videre viduum, sed immortalem in eo considere, qui in eo meruit immortalitatem. Vovemus item vigilantissimum Polonici sceptri custodem, nunquam in eum connivere somnum, qui nisi ruente mundo excuti non possit; si tamen fata hîc æternitatem denegent promeritam, optandum esse ducimus, vel Fasciam TUAM in illo solio, vel illud Diadema in TUA purpurâ collocari.

Neque verò ita Regum propria fuit Fascia, quin Sacerdotiis etiã deberetur. Nam præterquam, quod qui Reges olim, iidem ferè sacerdotes fuerant, ut de Rege Anio divina Æneis; de Romanorum Regibus Dionysius Halicarnass. lib.2. de Palestinis Xiphilinus; de Hebræis Justinus lib. 36. de Ægyptiis Plutarchus perhibent, an quod justiori illi ævo ea sacerdotii videretur esse auctoritas, quæ à nemine dignius, quàm à Rege sustineri posset: an quòd Regiæ dignitati splendoris plurimum sacrum illud munus esset allaturum; ideoquè eodem tam gloriosi capitis vinculo utramque dignitatem & devinxerat & ornaverat. Hinc in admirationem prædicationemquè ducimur divinæ providentiæ, cujus numine nec alia TIBI gens, nec alud genti TUÆ insigne obtigit quàm Diadema. Hoc enim debebatur TIBI qui per Majores TUOS magnus Comes & Princeps, per virtutes TUAS Magnus Senator & Pontifex eras futurus.

At enim aliò etiam adeoque minùs illustri ortu Deus TE proficisci voluisset: nihilo tamen minori jure honoris sibi Fascia cessisset. Plutarchus quippe Antistitis Hebræi mitram admodum geminam similemquè Diademati seu Fasciæ fuisse lib. 4. Sympos. Quæ. 7. adnotavit, adeòque notatore Servio Grammatico, Infula planè Fascia erat Diadematis instar, unde vittæ utrinque penderent, & Segimundum sacerdotio se abdicare volentem, apud aram Vbiorum vittas rupisse, cum iisquè sacrum munus repudiasse primo Annal. lib. Tacit: prodidit. Verùm certiùs nihil afferri ad rem potest, quàm legum divinarum monumenta, unde constat præcipuè ex Exodi Leviticiquè libris Fasciam ornamentum seu operimentum sacrorum capitum, idquè lineum seu byssinum perfectissimi candoris fuisse. Proinde verba tantummodo Cornelii à Lapide magni divinorum oraculorum interpretis subteximus, unde liquere possit, quid de Tuis honoribus sentiamus, quid dicere voluerimus. Ait ille in 6. Zacha: caput folio 240. Corona est insigne &

stemma

ſtemma Pontificis æqué ac regis, quia uterque eſt quaſi Deus quidam terreſtris in ſummo dignitatis æqué ac regiminis culmine collocatus: nec refert coronam dici, cum Regum corona etiam temporibus Zachariæ plerumqué Faſcia candida fuerit.

Sed quid foris iſta conquirimus, hâc ipsâ Novoduorſcianâ Faſciâ tam multos Pontifices redimitos ſpectavit Polonia, ut veré Faſcia Pontificum dici poſſet, niſi eam tot viri Principes, tot Senatores, tot Heroës, qui extra ſacerdotium reſtiterant, ſibi quoque vindicarent. Adeò verò hic ſacroſancti capitis ornatus placuit antiquis, ut non modo Sacerdotes, ſed ipſas etiam victimas, faſciis vittisqué coronatas ad ſacrificium adducerent, quod è Magno Marone 2 Æneid. conſtat: quin aras quoque templaqué Faſciis incingi ſolita minimè diluta Scriptorum auctoritas probat. Videmus & nos hodie rebus ſacris novum quendam ſplendorem à Novoduorſcianâ Faſciâ acceſſiſſe: ita ipſa altarium ſaxa, ipſi templorum parietes geſtire quodammodo videntur, ac deſiderare, non ſolùm Tuâ Antiſtes Ampliſſime pietate illuſtrari, ſed ipſas quoqué Faſciæ Tuæ imagines præferre. Quid porrò de grege, quem tuendum ſuſcepiſti dicemus, quàm lætus ille Faſciæ Tuæ ornamento coronatus, æterno ſe numini placiturum confidit, niſi fortè Te ipſum ſanctiſſimam putemus victimam, quæ pro divini honoris propagatione, pro patriæ incolumitate, pro populi ſalute, in tertiâ jam pontificii muneris ara, jugi ſolliciti laboris flammâ deflagret.

Tantus Faſciæ in ſacris honor: at quantus quodusque ad divinum verticem hominum ſuffragio provecta ſit. Certum eſt enim ex Trojani belli ſcriptore Apollinis inſigne fuiſſe candidam cum lauro Faſciam. Certum eſt è Satyrico Aquinate ſuas Cereri vittas fuiſſe; Certum ex Virgilio Faſciâ Palladem evinctam, certum è Gyraldo, Liberum Patrem Faſcia nunquam caruiſſe; certum è Plutarcho & Joanne Pierio Iſidem & Oſiridem magna Ægyptiorum numina tæniis fuiſſe coronata. Sed ne ſuperſtitionibus veterum honorem Faſciæ Tuæ illuſtrare velle videamur, ſummus ille Optimusqué rerum conditor eandem Faſciæ dignitatem non ſolùm à ſuperſtitione vindicare, ſed etiam ambire quodammodo viſus eſt, dum ejus nutu Antiſtitis Hebræi Faſcia talem auro cælatam præferret Epigraphen, SANCTUM DOMINO. Nempe cum immortale caput cingere non poſſet, cingeret moriturum, ſed quod Dei vice fungeretur; Quanquam ipſum etiam Numen æternum cum eadem Faſcia Alexandro Magno Hyeroſolimam petenti apparere non eſt dedignatum, ut autor eſt Joſephus. Nec invidet id ſeu honoris, ſeu felicitatis Hebræo Diademati Tuum ANADEMA Antiſtes Magne, quod divinæ propemodum Tuæ virtutes in Te & Tecum ita conſecrârunt, ut Sanctum Domino prorſus cenſeatur; cumqué Dei locum &

cum &

cum & teneas felicissimè, & tuearis diligentissimè, non nimium Tibi dabimus si Fasciam Tuam Fasciam Dei dixerimus. Ne verò sine Duce ad tam sublimia pervenisse videremur, Cornelii à Lapide verba superius recitavimus.

Nequé verò ab honore dissentit Illustris Fasciæ Tuæ candor licet enim purpuram Honori multarum gentium consensus accommodet, pleriqué tamen populi summam honoris majestatem in candore venerati sunt: Persæ, Parthi, Ægyptii Medi, &c. sed instar omnium est, quod M. Tullius 2. de legibus, albo colori tribuit: Color, inquit, albus præcipuè decorus Deo est, cum in cæteris, tum maximè in textili. Eamqué magni Oratoris sententiam, nationum omnium consensu vir Doctissimus Stephanus Vinandius confirmat. Confirmat & commendat nivei candoris dignitatem veritas æterna DEUS HOMO, qui cœlestiũ honorum imaginem tribus amicis repræsentaturus, vultu quidem solis æmulo, restitu verò niveo effulsit: cumqué & profligatâ morte victor in vitam rediret, & triumphaturus cœlos ascenderet, triumphi comites Angelos habere noluit, nisi candidatos. Tanti apud summum universi opificem color albus est, ut nè cœlum quidem tantâ siderum pulchritudine, numero, varietate, contentum esse voluerit, nisi candidâ Fasciâ effulgeret. Quid enim lacteus ille circulus, quem γαλαξίαν apud Macrobium Græci vocant, quid ille aliud est, quàm (ut peritissimi Mathematici teste Cresſ solio ajunt) purpureo in cœlo candida Fascia ac diadema, quàm minutis, tam densis refertum sideribus, quod augustissimum æternæ beatitudinis templum summâ cum dignitate coronet.

Plura de Fasciæ dignitate afferri certè possunt; at majora non possunt, proinde quæ deinde afferentur & pauciora erunt & minora, libanda tamen, quia Fasciæ opportuna. Primum esto. Si quis fortè pro purpuræ dignitate magnopere propugnet, non admodum reluctamur, adeoq; ultro signorum Tuorum purpurâ explicamus, sed substratam Fasciæ magno utique jure, nam purpureus color Regibus decorus, Deo candidus dedicatus; mirumque stemmata Tua continent mysterium. Indicant enim cœlo Te, rebusqué divinis quas candor ostendit, ita traditum esse. ut nè purpurâ quidem regnumq; , nisi infra hæc admissurus aut probaturus esse videâre. Licet autẽ ipse candor omnem ornamentorũ apparatum superet, non tamen omnem respuit, nam & in auro argenteæ quandoqué eleganter ludunt muranulæ, idcirco in hoc honoris Tui Diadema sidera, lunam, solem antiquitatis auctoritate transferimus. Nimirum si orientalium Regum anademata stellas, latinorum Radios duodecim, Ægyptiorum Aspides præferebant; minimè indigné facturi videmur, si candori honorato honorum insignia tribuemus. Ornet igitur Diadematis Tui frontem aureum illud ac venerabile petalum

talum (quod vocant) cui veteris Pontificii exemplo inscriptum sit SANCTUM DOMINO. Eos enim Tu honores admittere soles, qui & sancti sint, & soli Deo militent. Illustret dextrum tempus solis effigies, quam eruditus Vinandius in Hercule Prodicio Honoris Carolini coronæ inserit eò quòd claros, inquit, & illustres homines reddit honoris favor. Dicemus nos solem Tibi deberi, eò quòd Posnaniæ, tot calamitatum publicarum tenebris obrutæ, lucem tandem videris restituisse. Fulgeat altrinsecus luna crescens, dum totum impleat orbem præclara crescentium honorum imago, quæ tamen non à sole sed à Te lumen mutuetur. Nimirum crescendi vim à lunâ viventibus impertiri, ab Ægyptiis sapientibus creditum est, & Saloninæ Augustæ fæcunditatem luna caput ambiente expressam, nummi ejusdem testantur. Sit hoc voti nostri, sit meriti Tui argumentum: optamus enim æterna honorũ Tuorum incrementa. Licet autem patria non habeat, quo Tu semper crescas, Tu tamen mereris, ut nullum honores Tui crescendi finem inveniant. Eant Arcades & lunam nigræ subtexant alutæ, quorum sidera in astragalis geri consueta sunt; Diademati verò Tuo luna impressa, non secus capite Tuo digna est quàm cœlo. Reliquum Fasciæ solum stellæ ignesqué minores occupent, ut cœlestis illius Tæniæ lacteiqué orbis splendorem æmuletur. Quamvis enim non nisi positâ mortalitate, stellarum more pios effulsuros sanctus Vates prædicit, Tibi tamen, etiam dum cœlum expectas, astra debentur, qui jam immortalitatem merueris virtutibus; quarum flores, lilia sunt; fructus, sidera. Quod si veterum opinione illustrium piorumqué hominum animæ in stellas demigrabunt, quod de Julio Cæsare Augustus jactare non dubitavit, quantò meliori jure venerandus vertex Tuus stellas deposcit, cui idoneum coronamentum tellus progenerare non potest.

Sed claudenda Fascia est, quam nodo Herculeo innectimus ac consignamus. Cæterum Herculis eum aimus fuisse, quo sceptro circumvoluti angues caduceum efficiebant, ut eruditi tradunt. Serviunt hæc honori Tuo Antistes magne, & pro anguibus sarmaticum sceptrum Tua cingat tænia, quæ fideliùs multò feliciusqué Herculeum conservare potest nodum, quàm superstitiosa illa veterum serpentũ volumina: utpotè cujus sapientiæ non minus acceptum ferat Polonia, quàm Herculis lacertis rudis illa vetustas se professa fuerit debuisse. Deniquè minimè erraverit qui Te Illustrissimæ familiæ Tuæ, hoc est, Fasciæ Tuæ gemmam basilicam ac verè regiam dixerit, quanquam Tibi fortasse gratiùs est Regiam Coronæ Polonicæ gemmam Serenissimum Regem nostrum ita Tibi inhærere, ut ornare Te nunquam intermittat; ita fidere, ut nusquam lætius conquiescere posse videatur.

INFVLAE POSNANIENSIS CVM NOWODWORSCIANA FASCIA CONJVNCTÆ GRATVLATIO.

NIl opis externæ virtus, nil indiga laudis,
Divitiis animosa suis, immotaqué cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.
Attamen invitam blandè vestigat, & ultrò
Ambit honor.

HÆc de Romano quidem Consule dicta olim à Claudiano sunt Antistes Illustriss. at equidem magna nostrum omnium voluptate, insigni Ecclesiæ Posnaniensis emolumento, præclara senatoriæ amplitudinis accessione, in TE re ipsâ cadere planè animadvertimus. Nam Theodori quidem, cui Poëta ille canit, eane virtus fuerit, quam honor ambivit, dubitari forsitan possit. Id enim & unicus, & Poëta testatur, at honores certè TVI ita virtutibus ancillantur ac subserviunt, vix ut optare tantum sollicita multorũ possit ambitio, quantum in Te virtus vel jam contulerit, vel speretur collatura. Atque inde est, ut quo TECUNque tuleris, pedisequa TE dignitas nunquam deserat, eodemqué Te gradu minimè consenescere patiatur. Lætata quondam Podolia est, dum & virtutum TVARVM luce coruscaret, & paternæ planè providentiæ studiis conservaretur. At quia meritorum Tuorum ingens admodum factum erat incrementum, non tulit honor vel diu se TIBI deberi, vel tanta luce, ampliore luce privari. Latere non potuit lumen TVVM Antistes Magne Camenecensibus etiam clausum rupibus, tamqué prolixis stratum intervallis. Reperit TE dignitas vel in extremis Podoliæ finibus, séque TIBI nihilo segnius ingessit, quàm ab aliis quæreretur. Cessisti verò honori importuno, non quia opulentior, non quia summo propinquior, sed quia ut laboris fæcundior, ita exercendæ virtuti accommodatior. Ita nempe delatos Tu honores admittere soles, ut in eis laborem, quem non nisi TVVM, utilitatis verò non nisi publicæ materiam & spectes & deposcas. Ita fit, ut cum plerisque Pontificius splendor abundet invitamentis, tum verò nihil habeat, quo Tuos flectat oculos, nisi insignem vel Reipublicæ dignitatem, vel bene de omnibus merendi opportunitatem. Hæc sunt profectò illicia, quibus TE Premisliensis ad se Infula pertraxit; quanto suo commodo, tanto Podoliæ dolore: quanquam non Tvo illa quidem honore indoluit, sed sua fortuna; molestéqué tulit, eo censeri se numero, ut diutius TE habere non posset, verum quoquo tulerit animo Podolia TE sibi ereptum, nobis profectò & omnibus, qui invidere honoratæ virtuti

nesciunt,

nesciunt, non minus voluptatis, quàm Premisliæ utilitatis TVVS ille ascensus pepererat. Porrò cum eadem nunc fortuna Præmisliam, quæ paulo ante Camenecum exceperit, ambigi certè nequaquam debet, quin iisdem suspiriis TE abeuntem prosequatur, quibus TE à se Camenecensis amiserat Ecclesia. Itaque nè excelsior illa quidem sedes diu TE frui potuit, eripuit illi TE novus honor, qui nemini vel digniùs servivit, vel justius cessit, quàm TIBI eripuerunt TE merita TUA, quæ à nemine fideliùs in Rempublicam promanârunt, quàm à TE: eripuit TE denique virtus TVA quæ nusquam vel firmius vel elegantius videtur fixisse domicilium quàm in TE, cujus animo candidissimo multo conjunctior semper fuit sanctimonia, quàm ipse animus corpori, ut vel eo solo nomine amplissimis honoribus diu carere non posse videare. Vereor quidem Præsul optime, nè quis fortè detractum de se id suspicetur, unde laudes TVAS conteximus, dum nec honore TVO digniorem, nec patriæ studiosiorem, nec virtuti conjunctiorem quenquam afferamus. At convitia TV revera fieri TIBI meritò judicares, si quam alienæ laudis lucernam amplissimis TVIS laudibus attexeremus: Verùm nequaquam Comparatio illa cujusquam famæ invidet, sed TVAM illustrat; neq; impudenter sibi quisquam placere debet, ut honores TVOS sibi potius deberi arbitretur, quàm TIBI, cujus cùm antiquissimæ nobilitati, tum verò spectatissimæ red diti sunt virtuti. Ac fuerunt alii tanto munere sanè digni, fuerunt oneri tanto non impares; verúm ut in Deorum epulas aureum illud malum Dearum pulcherrimæ dandum fuerat, ita Posnaniensis Infula cessit dignissimo. O diem beatum, quo TE fracta tot malis Posnania, quasi cœlitus lapsum nacta est Antistitem! O lucem auspicatam, quâ desideratissimum TVI lumen communis doloris tenebras detersit! Itaque meritò Vniversus sacer juxta ac equester ordo, ad TE quasi ad propitium quoddam sidus, tantâ alacritate effunditur: cui magna lætitiæ pars deflueret, si TE subduxisses: meritò circa TE quasi circa principem suum apes lætabunda gestientis populi examina glomerantur, quæ languerent etiamnum, nisi TE dedisses: meritò denique Posnania suis quodammodo sedibus excita ad complectendum patronum parentemqué optimum procedit, cui cum Cujaviensis felicitas Lubiennium inviderit, orbitatis forsitan ac viduitatis suæ fortunam deploraret, nisi abitum Optimi Præsulis, Præsul optimus compensares. Ac in publicâ quidem hâc lætitiâ, alii TE Senatorem sapientissimum deprædicant, quidam Sacerdotem magnum canendo admirantur, nonnulli defensorem fidei exclamant, Pontificem alii sacrosanctum venerantur; Posnania, ut dixi, Pastorem TE providentissimum consalutat, ac in optatissimo TVO sinu ægrum caput reclinare deposcit. Neque absunt à publica lætitia Musæ, quæ nihil minus aut esse

 pos-

possunt, aut audire volunt, quàm inhumanæ: quæ nisi humanæ essent, musæ profectò non essent. Patrem TE optatissimum, ut experiuntur feliciter, ita salutant alacriter: nec patiuntur in tam festo gratulantium, vel plausu, vel concentu, suam quoque vocem desiderari. Et quemadmodum illustre gentis TVÆ decus impensè suspexerunt virtutes quoqué TVAS veneratæ sunt; ita honorem TIBI TVVM quàm possunt ex animo gratulantur. Tametsi cum vitæ meritorumqué TVORVM commendatio, tum TVA ipsius amplitudo, non sanè promptum nobis id gratulandi officium reddere videtur, quin hærere necesse sit, cui nam potissimum, aut quid nam gratulemur: senatui nè quem tam sublimè provectus, ampliori deinceps luce impertiris? an verò Posnaniæ, quæ felici TVA præsentiâ in spem erecta respirâsse quodammodo sibi esse videtur? An certè cultui divino dedicatis ædibus, quæ magnam partem, vel sacerdotibus defectæ, vel temporum injuriâ ruinam spectantes, TVAM implorant & expectant opem? An nobis deniqué ipsis quorum TU ingenuam institutionem, quam ardenter amplexus sis amplissimo patrimonio TVO, quo Collegium Soc: JESV excitâsti atque dotasti, cœlo ac terrâ luculenter consignasti? Etenim tot rivis ex uberrimo dignitatis TVÆ fonte, alienæ manant utilitates, quæ si spectarentur, aliis potius TVA dignitas gratulanda foret, quàm TIBI qui cum de TVA dignitate honorem Deo, commoda patriæ assignaveris, TIBI nisi laborem reservare non soles. Age verò quanta prædicatione familiæ TUÆ celebranda esset felicitas, quæ in eam à TE plenissimo alveo profluxit. Nihil hic de iis dico, qui magno Reipublicæ ornamento vivunt & florent, qui quidem tametsi suâ amplitudine magni sunt & erant magni, at excelsitate TVA & sunt, & erunt pares maximis. Clarissimis certè Maioribus TVIS, quos communis quidem lex mortalitatis in alterius vitæ coloniam, eamqué, ut gesta eorum sperare jubent, felicissimam deduxit Maioribus inquam TVIS honori permagno est honor TVVS ut vel fato functi gloriari meritò possint, suum sibi splendorem, quem in TE abundè contulerunt, tanto fænore redhiberi. Itaqué vivunt illi quidem tum gestorum suorum excellentiâ, tum annalium monimentis; at per TE immortalitatem quandam videntur jam consecuti. Verumenimverò certum deliberatumqué est Antistes Magne, hodiernâ die gratulari TIBI, bona precari, qui eorum bonorum, quæ in senatum quæ in civitatem hanc, quæ in sacra sacrorumqué administros, quæ in Societatem JESV, in literas, denique in illustrissimum genus TVVM vel proveniunt, vel hodie ex TE profecta sunt, vel in posterum profectura sperantur TV secundum Deum auctor & quædam origo extitisti. Atenim in tantâ rerum bonorumque copiâ quibus TVA hæc dignitas abundat, non levis oboritur dubitatio, quidnam potissimum TIBI gratulemur? nec

nec desit fortasse, qui ampliore redituum opumqué accessione, felicem TE vel stultè judicet, aut falsò appellet. Ea verò bona, ne hominis quidem esse ne dicam sacerdotis TU ipse factis magis quàm verbis semper confirmasti, idqué præclarè vitâ TUA, quod Seneca linguâ suâ, docuisti, omnem opum congeriem dignam non esse, quæ frontem boni viri contrahat, addo ego è TUA sententiâ, indignam esse, quæ cujusquam frontem explicet; atque ita semper, animo fuisse constitutus, ut cum amplas opes vel hæres possideres, vel Præsul haberes, ne momento quidem TE habuerit possederitue pecunia. Quocirca fortunatum TE qui volet dixerit ob ea bona, quibus etiam non boni abundare queunt; nos alia in TE spectamus. Fuerit verò non nemo, qui egregiam de propinquis benemerendi facultatem obtigisse TIBI existimet, verùm nec ea TUORUM conditio est, ut ope TUA emergere postulent, quos & insignis nobilitas, & præclara virtus satis reddidit reddetque conspicuos; nec eo TE studium TUORUM unquam detorsit, ut eos ferri potius, quàm ascendere optares: satis TE sanguini indulsisse ratus, si præluceres, satis si duceres, quæ quidem virtus nostra præsenti ætate facilius omnino laudatur quam servatur, multosqué habet admiratores, at sectatores non item. Non desunt tamen in Poloniâ, quibus majore in precio sit quàm consanguinitas, inter quos quem TU locum obtineas, quis est obsecro qui non videat? sed reperitur opinor non nemo, qui locum in senatu ampliorem adeoqué Principi propinquum accepisse TE gaudeat, præcipuumqué hoc laborum ac meritorum TUORUM ex voti TUI sententiâ munus cedere TIBI exoptet.

Magnum id quidem est, atq; ejusmodi, quod non pauci, non vigiliis modo aut sudore, sed periculis, sanguine, vitâ nequicquam redimere satagunt; at dicam liberè, infra TUUM animum id quoque bonum est, addo, etiam infra meritum. Absit enim ut id virtutum TUARUM præmium esse quisquam existimet. Parvo equidem TUA merita venirent, si ea rependere mortalitas posset. Æternitas beata est, æternaqué beatitudo, quæ TIBI satis præmiorum referre posse videatur. Ea verò dignitas, quæ TE consecuta est, pignus quoddam est, quo patria, non tam dissolvere quod debuit, quàm profiteri quid debeat, videtur, & sapientissimus ac æquissimus ut personarum, ita meritorum judex Serenissimus Rex noster, cum ad eum TE gradum invitavit, docere magis voluit meruisse TE, quàm TUIS meritis respondere. Quod si TU splendoris TUI conscius, splendorẽ extra TE minimè quæris, nec eum nos in terrâ consectabimur. Sed primum quidem, rem omnibus thesauris opibusqué preciosiorem, omni vetustæ nobilitatis commendatione gratiosiorem, denique omni honorum fastigio excelsiorem, hoc est TE ipsum TIBI, quàm amanter, tam reverenter gratulamur; lætamurque talem ac tantum non solùm esse, verùm etiam haberi, cui quantivis impensi honores, non in mercedem, at in testificationem cedant meritorum: lætamur eum esse TE, qui non à loco lucem mutare, sed locum quamlibet illustrem non mediocriter illuminare & possis & soleas: lætamur insuper tot annos Pontificii muneris TUI tam Præclarè sanctequé à TE DEI beneficio exactos esse, ut in istis honorum TUORUM exordiis dignissimus viderere, quem Posnania salutaret Antistitem:

quod

quod quia non antea factum est, quod tam pridem factum oportuit, per TE virtutemqué stetit: contentus enim meruisse, quî tandem aut quando merito responderetur, minimè laborâsti. At nè vel parum æqui in Posnaniam esse, vel de honore TUO, non pro eo ac par sit sentire videamur, si nihil prorsus TIBI à tertiâ hâc Infulâ dixerimus accessisse. Accessit sanè illudqué est, quod & nos, & Tu ipse TIBI jure optimo gratificere, Amplissimus videlicet laudis gloriæqué campus, in quo pro egregiâ animi TUI magnitudine Ecclesiæ, Reipub. bonis deniq; omnibus, commodiùs forsitan & gloriosius, quam ante hac, operam TUAM navare possis. Spectaculum factus es Antistes Illustrissime, quod mortales juxta ac immortales oculos mereatur: idque non hodie primum, quamvis hodierno demum die in novum idque magnificentissimum theatrum æterna TE providentia produxit, in quo sapientissimi Senatoris, Magni sacerdotis, Pontificis sancti vivum exemplar imaginemqué absolutissimam morituris & nascituris exhibeas. Multa hîc fateor agenda, ferenda multa, TE manent, quæ nescio an alium quemvis meritò absterrerent: at quia TU DEO virtutequé fretus, ea deposcere ultrò consuevisti, quæ minores TE animi reformidare jure possint, idcirco & nos vehementer gaudemus, has onerum moles TUIS humeris tam prosperè incubuisse. Occurrunt TIBI palantes plebis destitutæ greges, pastorem optabunt, pastor eris. Supplicabunt tot miseræ pupillorum orborumqué turbæ, Patrem quærent, pater eris. Venient potentiorum injuriis exagitati cives, defendi volent, patronus eris. Emerget, (quod quidem absit, sed inter homines vivitur) aliquod humanâ improbitate nefas, quod oculos animosqué TUORUM lædat, succurrendum erit, medicus eris. Tentabit scrutabiturqué ovile TUUM hæresis, juratus æternusqué gregis CHRISTI hostis, excubandum erit, vigilabis. En præsens adest tot funeribus exhausta, tot calamitatibus attrita Posnania, & crudas adhuc cicatrices hiantesqué plagas benignitatis tuæ Fasciâ flagitat alligari; erige prostratam, medere languenti, Ipsa sedes TUA Basilica, quid postulet vides. Et nè omnia recenseam, tam multa TIBI, tam gravia, tam diversa in hoc theatro agenda sunt, ut plurium vires manusqué opus esse videantur. Porrò de eventu spes sunt, quales afferre DEUS & virtus potest. His enim, ut dixi, ducibus, ita hæc omnia profligabis, ut celeberrimum cœlo plausum terrâqué mereare. Nos interea, universusqué literis sacer cœtus TUIS pedibus advoluti, non nostram tantum lætitiam Honori TUO dedicamus, non verba observantiæ nostræ prægravi amplitudini TUÆ deferimus; sed animos nostros mancipio nexúque TUOS esse volumus, jubemus; atque hujus voluntatis nostræ illos itidem ipsos animos nostros & interpretes & obsides fieri præcupimus: denique æterno supremoq; & auctori & remuneratori virtutum supplices sumus, ut præsenti propitioque semper numine magnæ mentis TUÆ magna consilia ita secundet, susceptaqué negotia ita provehat, ut universa patria, non tam miretur tertiam Infulam tibi delatam esse, quàm hucusque fuisse dilatam; perspiciantqué æqui ac iniqui, non honorem TIBI sed TE honori fuisse ornamento. Faciat, faciat tandem maiestas illa, è quâ & vitæ diuturnitas & honoris claritas promanat, ut Ecclesiæ, Patriæ, Musisqué floreas, nec prius ad emeritos immortalitatis fructus evoceris, quàm velis; nec velis ante quam Posnaniæ Ecclesiam, Patriam optatæ incolumitati, Musas decori floriqué pristino, pietate, labore, industriâ TUA restitutas esse possis gloriari. Finem dictioni fecissem nisi quod Honori TUO Fascieq; TUÆ hic quoq; admodulari volunt, Vrbiqué Posnaniensi a Tuâ Fasciâ ominando, benè comprecari.

CONSANESCET.




Heu dolor: ingenti divulsus vulnere vertex
Immane, abluvio ruptus ut agger, hiat.
Sanguinis eluvies rapido ruit impete, vasto
Cum cerebro torquens ossa resecta vado.
Iamq; labat Posnense caput: quæ claudere plagam
Quam dedit Angelicus mucro, medela potest?
Siste gradum fugiens vel in ipso vulnere vita,
En medicinales porrigit æthra manus.
Dum ligat afflictam peccati Fascia mentem,
Corporeum vitæ spes bona vulnus habet.


PEL-

PELLENT HAEC SVDARIA MORBOS.






DE sine jam tandem depascere febribus artus
Funere sexcento non satiata lues:
Extrahe lymphatum cerebro frendente dolorem,
Pestiferas toto corpore tolle faces:
Seu tibi nil medicis Podalirius obfuit herbis;
Abstulit haud vires tota medela tuas.
Tæniola Cephalea omnis virtute domatur
Quam ligat ad capitis vulnera Diva manus
Qui ligat est PETRVS; ipsa ligans est illita Christo
Tænia: dum ligat hæc, nulla timenda lues.




NE

NE FORTE RECLVDAT IMPIETAS.






HÆc, quæ ſaxifico ſtat porta horrenda tridente,
Tranſverſaquè gerit clavis in ore crucem;
Fidæ vrbis Domino cor inexpugnabile ſignat,
Quod nullis Aquilam miſit in arma minis,
Si divina fides humanæ juncta fuiſſet,
Nulla vrbs in Lechico ſanctior orbe foret.
Sed neuter clauſæ ſuccedit Apoſtolus vrbi,
Cùm neutri portam pandere clave datur:
Faſcia Petre tui claves Antiſtitis ambit;
Hanc fer, & Hæreticis oſtia claude dolis;




DIGNA ISTIS HAEC CARBASA VENTIS.






SPlendida Præsuleo vittata Liburnica velo,
Perge Charybdæas nil metuendo minas.
Non scyllæa tibi latrans seno Hæresis ore,
Non livoris atrox asperet horror iter.
Suppara Posnensis cingunt fastigia mali,
Augustâ PETRI suppara digna rate.
Angelus hæc pandit: Divinum Pneuma propellit.
Ipse gubernandi Dux Bariona regit.
Cùm sis auspiciis tot constabilita: quid obstat,
Quo minus æthereo suscipiare sinu?




COELE-

COELESTES SIC ITVR AD IGNES.






CErnis, ut ignivomas stet victima mitis ad aras!
Quæ mansueta suum non stetit ante jugum.
At tamen in nullo bos conflagravit aratro:
Hic videt appositum torret ut ara bovem.
Demulsêre ferum retinacula mollia collum,
Mollior iligno byßina vitta jugo.
Divinos facilè Clementia ducet in ignes;
Quos non ad proprium compulit ira jugum.
Funiculis ducantur Adæ, ducantur amore,
Quæ sunt divino corda cremanda rogo.




RVINA

RVINA HAEC SVB MANV TVA. Isaiæ 3.





NOn satis Aligeri citò vittæ vela tulistis,
Cùm pars magna sacræ concidit igne domus.
O si divino licuisset adesse favore,
Turres, & Cypriæ quàm cecidêre stegæ.
Sed benè: quandoquidem tandem almâ sorte venitis,
Gaudeat hoc vestro tegmine sacra domus.
Æthæreos ignes, lapidum ferriquè procellas
Turbineosquè potest temnere tuta Notos.
Quod Catinæ tectis Agatheus præstat amictus,
Hoc confert ad opem Fascia, Posna, tuam.



FA-

FASCICVLVM SVVM FVNDAVIT SVPER TERRAM Amos 9.




Quid video? nova quæ meßis? novus unde manîplus!
Dicite quo seges hæc aurea crevit agro?
Regia Præsuleis diademata mista tiaris,
Vinctaque Pontificum Regia sceptra pedis
Hic religata rigent; vexillaqué, truncaqué palmis
Arma triumphantis digna trophæa viri,
Hic habet illustri illustris de meße maniplus.
Miror ego meßem, parcite, miror agrum!
Crevit sarmaticis dices, hæc gloria campis:
Nil dubito, hîc pandi signa Polona videns.
Semina sarmaticis qui talia sevit in arvis,
Hos etiam certus Mars mihi dicit, AVI.
Credo equidem claros tritavos, atavos, abavosqué
Tam seviße decus, quàmqué rigâße decus.
Hæreo sed dubius, quæ sit tam dives honoris
Inter sarmatidos gens generosa domos!
At quia Fasciculum video, quem Fascia vincit;
Aio, Nowodwori sunt decora alta domus.
Horrea Fasciculo sed quæ debentur? Honoris
Sit Templum modo, sit postea at ipse polus.

Quæ





QVæ de Clarissimæ Gentis Tuæ FASCIA quâ NOBILITATIS, quâ VIRTVTIS, quâ HONORIS cecinit Apollo noster TVÆ GLORIÆ, Illustriss. ANTISTES, hæc olim vidit, videtqué POLONIA, & nunc gratissimâ recordatione fovet, & deinceps perpetuis temporibus celebrabit vetustas. Conatum nostrum non ingratum futurum TVA nobis pollicetur humanitas. Nimirum TVA TIBI dedimus: TVAE TIBI Gentis decora non placere non possunt Sis sospes PRÆSVL Ampliss. & nostram infantiam boni consulé.

FRANCISCUS CASIMIRUS SANDIVOGIUS à Czarnkow Capitaneus Medirecensis.










GLORIA
FASCIA
A
Collegÿ,
NOBILITA
liberali Mineruæ
AC
reuerenter
PER
Magnificum
Sandiuogium
Capitaneum
Collegÿ
ab orbe restituto